







64(285)
160



R. 9368

PATRIS ANDREAE DE GUEVARA

METAPHYSICA

DIALOGO DIGESTA

IN EPITOMENQUE REDACTA

AB EM. M. DEL MARMOL

REGIA HISPALENSI ACADEMIA

REGIO PHILOSOPHIAE ANTECESSORE.





HISPALI

JOSEPHUS HIDALGO ET SOCII

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS

EXCUDEBANT

ANNO MDCCCXXIX.



AUCTOR LECTORI.

Patris Andreae de Guevara Metaphisica elementa lege constricti Discipulis instituendis tradidimus. Illi autem his, et aliis examinibus subeundis aptiores erant faciendi. Traditas in aula doctrinas in epitomen redigere, dialogoque digerere eorum memoriae juvandae nobis venit in mentem. ¿Alia dices, Lector, epitome? Illa, quae circumfertur, et nostra erúnt duae. ¿Quid inde? Sed candidé fatemur: illa nimium doctrinas constringit.

Fidelem egimus redactorem. Nec ad binas extenduntur fortasse paginas, quae nostro ex modulo adjecimus. Non alia docere intendimus, quam quae litteram elementorum Guevarae aulis matutinis, vespertinisque consesibus explicantes docuimus. (¿Nova post Genuensem scripsissemus?) Aliter labor iste noster inutilis erat futurus. Non nova discant Discipuli; sed quae didicerunt, facilius, epitomen nostram legentes, ad memoriam trahant.

PROLOGOMENON.

§.

¿Quid est Metaphisica? Ethimologiâ inspectá, scientia ultra Naturam, sive ultra Phisicam. Re vero attenta, scientia, quae non proximas rerum caussas, ut Phisica, sed remotas, generalesque inquirit.

¿Quot partes habet? Quatuor: Ontologiam, Cosmologiam, Psichologiam, et Teologiam naturalem, ut dicunt, ut á revelata secernatur.

¿Quid est Ontologia? Metaphisicae pars, quae de ente in genere tractat, id est, de proprietatibus, quae enti, ut enti, et non ut tali enti conveniunt.

¿Quid est Cosmologia? Metaphisicae pars, quae de caussis Mundi, non proximis, sed remotis, seu de Mundo non sensibili, sed intelligibili, disputat, quod abstractionibus effici solet.

¿Quid est Psíchologia? Pars Metaphisicae, quae de spiritibus agit.

¿Quid est Theologia naturalis? Quae de Deo, ejusque attributis, ac de religione, duce ratione, pertractat.

QUAESTIO PRAELIMINARIS.

De primo cognitionum principio.

§ I.

¿Est aliquod axioma, ex quo cognitiones omnes nostrae ducantur, et ad quod reducantur? Esse quidem plurimi Philosophi affirmant. Unusquisque eorum suum axioma statuit, quae, quia inutilia, nec afferimus, nec rejicimus, Aristoteles credit hoc principium, „*idem nequit simul esse et non esse*” esse primum, et illud vocat principium contradictionis, quia ejus extrema jungi non possunt. Nos credimus, Genuensem sequentes, quamlibet veritatem ad hoc principium ferri aut duci posse, ac propterea vocari valere primum principium reductionis; sed non posse omnes veritates ex eo deduci, ac inde nullum esse deductionis principium. ¿Quis hominum ingenio limitibus circunscriptorum omnes videat feré infinitas veritates, quae ex propositione aliqua deduci possunt? Possunt tamen homines propositionem aliquam ad determinatum axioma, per gradus suos ex proximioribus ad remotiores ascendendo, reducere.

§ II.

¿Est principium aliud nostrarum cognitionum? Hoc a Leibnitzio si non inventum, frequentur usurpatum: „Nihil est sine ratione

sufficiente, id est, sine caussa, ut sit, et sit sic potius, quam aliter."

¿Est verum? Est: si enim aliquid eset sine caussa, ut sit, et sit prout est, esset ex nihilo, quod impossibile, et esset simul et non esset. Esset, quia supponitur: non esset, quia ex nihilo. Hoc ergo principium est verum, et consequitur statim primum illud, dictum contradictionis, ut patet ex dictis.

¿Quotuplex est ratio sufficiens? Interna, et Externa.

¿Quid Interna? Ea, quae in ipsa re reperitur.

¿Quid externa? Quae reperitur extra rem.

¿Quis habet ratiorem sufficientem internam? Ens necessarium, quia, ut independens, ipsum sui ipsius est ratio. Hoc in Deo accidit.

¿Quaenam habent rationem sufficientem externam? Res creatae, quia dependentes.

¿Quae res habent hanc rationem, sed nomine diversam? Res possibiles, et in his ratio vocatur possibilitatis. Res existentes, et in iis ratio vocatur existentiae. Res, quas cognoscimus, et in iis ratio vocatur cognitionis.

¿Existente ratione sufficiente, concipitur esse effectus? Concepta ratione possibilitatis, res est possibilis: Concepta ratione existentiae, concipitur res existens, quia aliter, non esset caussa existentiae, sed possibilitatis. Existente ratione cognitionum, existit cognitio, vel ejus objectum in principio contentum, sive capiatur, sive non capiatur.

¿Si Deus est ratio sufficiens existentiae

Mundi, cum Deus sit aeternus, aeternae erunt res Mundi? Minime: Voluntas Dei est caussa rerum, aut voluntas Dei fuit quod res esse inciperent in tempore, et non ab aeterno.

¿Quid hac super re vitandum? Ne, quia effectûs caussam ignoremus, eam non existere dicamus. Ne effectum esse dicamus, cujus caussâ pugnat.

DISERTATIO PRIMA.

ONTOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

NOTIONES GENERALES ENTIS.

§ I.

RES, EUS, ESSENTIÁ, EXISTENTIA.

¿Quid est res? Illud, quod existit, aut non existit, aut existere potest, aut existere non potest: est notio caeteris omnibus metaphisicae amplior.

¿Quid est ens? Quod existit, aut existere potest.

¿Quotuplex est ens? Actuale, sive existens, et potentiale, seu possibile. Primum inter existentia numeratur. Secundum inter ea, quae existere posunt.

Huic opponitur ens dictum rationis, aut fictum, seu chimericum, quod potius res, quam

ens dici potest. Hoc vel est fictum cum fundamento, vel sine fundamento; 1.m est, quando res fundamentum ad fictionem praestat, v. g. genera, et species. 2.m cum non praestat, v. g. si quis delirando mulierem fingat caput equi, caudam draconis, squamas piscis habentem.

¿Quotuplex itidem erit ens? Positivum, et negativum, et privativum 1.m est, quod veram existentiam habet: 2.m quod non habet, nec habere potest, v. g. circulus quadratus: 3.m est, quod deffectum rei denotat, v. g. tenebrae, quae absentiam lucis dessignant. Ubi nota carentiam non confundendam cum privatione. Haec indicat absentiam rei alicujus, sed non excludit capacitatem eam habendi, v. g. coecitas. Carentia capacitatem excludit, v. g. Visus in lapide.

¿Quid est primum quod in ente consideras? Essentiam.

¿Quid est essentia? Illud, per quod res est, quod est, et non aliud.

¿Quotuplex est essentia? Metaphisica, Phisica, et Logica. Metaphisica est illud attributum, vel attributa, ex quibus caetera, quae in re sunt, oriri intelliguntur. Phisica est complexus proprietatum, quae in naturâ rei alicujus intelliguntur. Logica componitur ex genere et differentia.

¿Quid ex dictis duces? Tria: 1.m Essentia rerum est necessaria, quia nequit res suam essentiam amittere, manendo quod est. Si per illam res est quod est, eâ sublatâ, tollitur res.

2.m Essentia est immutabilis, quia, si mu-

tatur, mutatur res. Cum enim per ipsam res sit, quod est, eâ mutatâ, jam res non erit, quod erat.

3.^{m} Essentia est aeterna, id est, semper verum fuit, vel nemine cognoscente, ens A. v. g. necessario, et immutabiliter esse id, quod est, et non aliud. Ratio est, quia res respondet ideis Dei aeternis. Ergo essentia intelligibilis, quae actuali respondet, est prout fuit ab aeterno in ideis Dei, ac inde aeterna, immutabilis, et necessaria intelligibiliter. Nec opponas transmutationes rerum: in iis namque res mutata desiit esse quod erat, et ad esse aliud transit, v. g. lignum mutatum in cinerem, jam non est lignum. Clarius: essentia rei est eadem, quae fuit ab aeterno in mente Dei. Ergo aeterna.

¿A quo provenit rerum diversitas? Ab attributis, quae essentiam constituunt, quae etiam notae caracteristicae appellari possunt. Hae ab aliis non profluunt. Nótae ergo, quae ab aliis profluunt, non sunt essentiales.

¿Quomodo demonstrari possunt essentialia? A posteriori, vel ab effectibus, quia ab aliis non oriuntur. Caeterae notae demonstrari valent a priori, quia oriuntur ab essentialibus.

¿Quae entia deffiniri possunt Non possunt ea, quorum non cognoscimus essentialia. Haec descriptione exhibentur, prout in Logica dictum est. Ea vero, quorum novimus essentialia, deffiniri possunt, ut sunt res morales et abstractae. Propterea harum essentiam noscimus, quia plerumque notis simplicissimis constat. In rebus autem Phisicis involutae et complicatae sunt

¿Quot in statibus essentia considerari potest? In statu intelligibili, et in statu actuali: Primus est objectum ipsum divinae cognitionis, ut accidit in rebus, quae non existunt, et existere dessierunt. In statu actuali sunt res existentes.

Quid est existentia? Quid sit, scio; sed desfiniré nescio. Concipitur facillime; dessunt ad deffiniendum verba.

¿Quotuplex est existentia? Necessaria, et contingens. 1ª est in re, quae in se habet rationem sufficientem existentiae, ut Deus. 2ª est in iis, quae in alio eam habent, ut creaturae.

¿Existentia est quid distinctum ab aesentia? Illa ab hâc differt tanquam status rei á re. Existentia est ipsa essentia actione Dei é non esse ad esse traducta. Ergo status intelligibilis est diversus ab actuali. Ille, id est, essentia, est aeternus, inmutabilis, et necessarius, ut dicebamus supra. Hic est temporalis, et á voluntate et actione Dei creantis depeadet.

§ II.

ATTRIBUTA, PROPRIETATES, MODI.

¿Quid est attributum? Illud, quod pertinet ad essentiam, v. g. in corpore impenetrabilitas.

¿Quid est proprietas? Illud, quod ita ab essentia, vel attributis manat, ut, ea possita, essentia possita concipiatur, eâ sublatâ, attributum sublatum intelligamus, v. g. soliditas.

¿Attributa pendent, vel seliguntur ab homi-

num arbitrio? Minime: A Natura enim res habent notas, per quas esse, et ab aliis rebus discerni intelligimus.

¿Quid dicendum de attributis? Ea, quae de essentia, quia ex illis exurgit. Ergo sunt aeterna, necessaria, et immutabilia.

¿Quid de proprietatibus? Quod ponantur, essentia possita, quia in illa habent rationem sufficientem, et hâc positá, ponitur ejus effectus. Sublatis proprietatibus, vel possitis, auferuntur vel ponuntur attributa, quia necessario hae illis uniuntur.

¿Quid sunt accidentia? Quae adesse, et abesse possunt, salvâ essentiâ.

¿Quot géneris sunt? Qualitas et Modus. Qualitas essentiam limitat, ut in corpore calor, vel frigus; modus limitat existentiam, ut figura.

¿Quid de accidentibus dicis? Non manare ab essentia, alioquin, iis possitis, vel ablatis, poneretur, vel auferrétur essentia. Quod sint accidentia, venit ab essentia, quia aliquo modo limitata esse debet. Quod sint talia, vel talia accidentia, ab extra venit, et ad extra quaerenda est ipsorum sufficiciens ratio.

¿Quid amplius dicis de accidentibus? Ea sua habere accidentia, quorum sint velut substantia, vel substractum, quia suam habent essentiam, et haec suam limitationem. Sic motus est accidens corporis, et velocitas major vel minor est motus quoddam accidens. Idem dicas de rectitudine in ipso motu.

CAPUT SECUMDUM.

Entis possibilitas et impossibilitas.

§ I.

Notiones et divissiones possibilis et impossibilis.

¿Quid est possibile? Illud, cujus attributa conjungi possunt, et nihil in ipsis est, quod conjunctioni repugnet. Possibile etiam dicitur illud, cni producendo est caussa externa.

¿Quotuplex est possibilitas? Interna, et externa. Primam illa habent, quorum attributa conjungi valent. Secundam ea, quibus est caussa conjungens. Homo est interné possibilis, quia jungi possunt animalitas et rationalitas. Est externé possibilis, quia est caussa ad illas jungendas.

¿Quid ex allatis deducis? Ea, quae existunt, aut extiterunt, sunt possibilia. Ea, quae existere possunt, non propterea existent, et dicuntur puré possibilia. Propterea de actu ad potentiam valet consequentia, ut ajunt Logici, sed non ex potentia ad actum.

¿Quot sunt possibilium genera? Hispothetica vel conditionata, naturalia, et moralia. Conditionata sunt, quae in se non repugnant; sed repugnant datà hypothesi. v. g. Puré possibilia valent existere; ast ex eo, quod supponantur puré possibilia, impossibile est quod

existant. Naturaliter impossibilia sunt ea, quae Naturae legibus pugnant. Non obstat tamen quod Naturae Auctor ea faciat existere, qui, ut Dominus, sibi reservavit leges aliquando suspendere. Sic lapis suo genio relictus impossibile est naturaliter quod non cadat. Supernaturaliter potest non cadere. Impossibilia moralia sunt ea, quibus aliquod inconveniens maximum obstat. Idem est ac si diceres esse difficulter possibilia. In rebus moralibus Deo impossibilia moralia sunt omnino impossibilia. Sic difficulter homo justus innocentem damnabit, sed potest damnare. Non item Deus.

¿Quaenam sunt possibilia naturaliter, quae moraliter? 1.º Sunt ea, quae juxta Naturae leges fieri possunt. 2.º Sunt ea, quae fieri valent, sed vincendo aliquam magnam difficultatem.

§ II.

Possibilitas intrinseca rursus examinatur.

¿Possibilitas intrinseca pendet á libera Dei voluntate? Non pendet, quia supponamus, praescindentes a voluntate Dei, rei attributa esse conjungibilia. Tunc inutile est Dei decretum ad rem illam faciendam possibilem, quia jam possibilis concipitur. Si non erant conjungibilia, jam absurdum Dei decretum erat, et conjungi illa non poterant, nisi illorum essentia mutaretur, ut conjungi possint, ac inde res cujus erant essentia, jam non esset illud, quod erat.

Ejus essentia mutata esset, quod nefas, quia essentia est immutabilis, ut dictum est antea.

Alio modo: essentiae rerum sunt acternae, necessariae, et immutabiles. Ita non essent si a Dei voluntate possibilitas interna penderet, quia Deus suo decreto posset facere, quod constitutiva contradictoria jungerentur, et propterea ut dessinerent habere contradictionem, ac proinde mutarentur.

¿*Quid deducis*? Deum essentiâ suâ esse caussam possibilitatis, omnipotentiâ existentiae rerum. Id est, essentia Dei est caussa internae possibilitatis: ejus omnipotentia et voluntas possibilitatis externae.

¿*Quid amplius deducis?* Ea solum dicenda absoluté impossibilia, quibus claré et evidenter contradictio attributorum videatur. Potest enim ab adjunctis contradictio venire, et tunc esset impossibilitas hipothetica.

Non est dicendum aliqua naturaliter fieri non posse, quia ignoremus qua ratione fiant: energia enim Naturae non est nobis intime perspecta.

¿*Adecuata vel completa possibilitas ex quo exurgit?* Ex interna et externa: nempe ex concordia constitutivorum, et omnipotentia divina.

CAPUT TERTIUM.

De generalibus entis affectionibus.

¿*Quae vocantur proprietates generales entis vel transcendentales?* Illae, quae in omnibus en-

tibus reperiuntur, et ad omnium entium genera transcendunt, quae propterea de omnibus omnino entibus praedicari possunt.

¿Quot sunt? Quinque: omne ens est res, ens, verum, bonum, aliquid, unum. De re, et ente, vel de realitate et entitate jam dict m est. Si res et ens sunt, sunt aliquid, de quo vocabulo nulla dicenda veniunt. Restat veritas, bonitas, unitas, de quibus verba facienda.

§ I.

De veritate entis.

¿Quid est veritas entis metaphisica? Illa, per quam res veré est quod est; ergo erit haec veritas conformitas entis cum sua essentia. Praeterea: essentiae omnium rerum in mente aeterna intelligibiliter ab aeterno erant. Conformitas ergo rerum cum ideis Dei aeternis est deffinitio clarior veritatis metaphisicae.

¿Habent omnia entia veritatem metaphisicam? Habent, quia necessarió ideis Dei respondent.

§ II.

De entis bonitate.

¿Quid est bonitas metaphisica? Est illud, per quod ens perfectum est ita, ut nihil ei desit, ut sit tale, et non aliud. Clarius: est aptitudo entis ad finem suum a Deo ipsi praes-

titutum. Ergo nulli enti deest haec bonitas, quia nequit non habere ea, quae necessaria sunt ad suum finem: alioquin Deus aut noluít, ut nescivit, aut non potuit donare illa, quod blasphemum. Haec bonitas vocatur etiam perfectio.

¿Quomodo vocatur haec bonitas? Essentialis.

¿Est alia bonitas? Accidentalis, quae desumitur a partibus integrantibus et accidentalibus. Sic homo brachio destitutus essentialiter bonus est, non accidentaliter.

¿Quid dicis de bonitatibus entium inter se comparatorum? Perfectius est illud, quod meliora attributa habeat, si sint homogenea. Si heterogenea, melius est illud, quod melioris generis habeat attributum. Haec quoad quantitatem. Quoad qualitatem autem, si aequalia sint attributa, melius erit ens, quod plura habeat Si inaequalia quantitate et qualitate, bonitas est in ratione composita qualitatis et numeri. Sed alíi credunt esse perfectiora illa entia, quae panciora attributa habeant, si sunt qualitate nobiliora. Ratio est, quia non est tam obnoxium separationi; quae perfectio, si uniatur cum paucorum illorum attributorum qualitate superiori, dant majorem perfectionem.

§ III.

De entis unitate.

¿Quid intelligis per unum? Illud, quod non est divisum in plura ejusdem denominationis, ut homo, qui, si dividatur, non homo, sed duo

medii homines exurgunt. Hoc accidere solet in re, quae suâ essentiâ una est, ut homo. Est etiam unum per aggregationem, sive discretum, et deffinitur illud, quod, si dividatur, non essentia et nomen, sed quantitas immutatur, ut acervus tritici, quo diviso, exurgunt duo acervi etiam, sed minores.

¿Quid ex dictis deducitur? Non confundendam indivissibilitatem cum unitate. Acervus enim tritici, v. g., habet grana absolute una, et dividitur. Haec dicas de totis per aggregationem. Quantitates continuae, licet unae, si dividantur, nomen amittent, et unitatem sed dividuntur. Spiritus tantum habent unitatem et indivissibilitatem.

¿Quid est individuum? Quod est indivissum a se, et divissum ab aliis.

¿Quot sunt unitatum species? In primis numerica, specifica, et generica. Primam habent ea, quae sunt individua: secundam, quae specie conveniunt: tertiam quae conveniunt genere. Identitas etiam cum unitate confunditur. Sic ea, quae sunt specie una, dicuntur specie eadem.


¿Quotuplex itidem est unum? Simplex, et compositum. Simplex est, quando partes distinctae non sint in eo, ut spiritus. Compossitum, si partibus distinctis coalescat. Et hoc vocatur unum per se, vel per accidens. 1.ⁿ est, si partes naturá suâ destinatae sint ad totum faciéndum, v. g. homo anima et corpore constans. 2.ⁿ est, si fortuito partes uniantur, v. g. plures homines uniti ad civitatem aliquam componendam.

¿Quaenam est praecipua unitas per accidens? Ordo.

¿Quid est Ordo? Dispossitio rerum secundum aliquam analogiam in ipsis lucentem; v. g. Dispositio librorum bibliotecae per materias.

¿Quotuplex Ordo? Simplex, et Compositus. 1.^s est, si una tantum inspiciatur analogia, ut exemplo librorum Bibliotecae videtur. 2.^s Si plures, ut si in biblioteca non tantum materiae, sed tomorum magnitudo inspiciatur. Si plures sint analogiae inspectae, venustior est Ordo.

¿Quot sunt analogiae? Tot, quot rerum ordinandarum esse possint dispossitiones et relationes. Precipuae sunt tempus, dignitas, natura, situs, cognitio, finis. Natura consistit in eo, quod res una sit aliùs caussa, vel habens influxum in illa producenda. Cognitio idem est ordo juxta methodum. Ordo in fine consistit in eo, quod partes ad eumdem finem tendant.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

CAPUT QUINTUM

De affectionibus entis contrapositis.

§ I.

Identitas et distinctio.

¿Quid est identitas? Illud ens dicitur in se et respectu sui propriè idem, quando nihil in ipso immutatum est, et nec quoad tempus, nec quoad locum. Hoc accidit solúm in Deo, quia aeternus, et quia immensus. In creatis illud ens dicitur idem, quo essentia immutata non est, licet locus ejus et tempus mutentur.

¿Quid est distinctio? Distincta dícuntur en-

tia, quae eamdem habent essentiam, sed diversam numero. Si non solum numero, sed qualitatibus discrepent, dicuntur diversa.

¿Quid ex his deducendum? Quod distinctio opponitur identitati: diversitas similitudini: Praeterea, quod entia diversa distincta etiam sunt, et non quia distincta, diversa esse debent. Petrus est distinctus a Paulo, quia quilibet habet suam distinctam essentiam, sed non sunt diversi, quia ambo homines sunt. Petrus etiam est diversus ab asino, quia qualitatibus discrepant: ille rationalis, alius irrationalis.

¿Quotuplex est distinctio? Realis, formalis, modalis, et rationalis, sive rationis. 1ª est, quae reperitur inter rem et rem, ut v. g. inter Petrum et Paulum. 2ª est illa, quae invenitur inter formalitates sive attributa rei, et inter formalitates et ipsam rem, ut, v. g. inter inertiam et attractionem corporis, et etiam inter inertiam corporis, et ipsum corpus. 3ª est, quae videtur inter accidentia rei, et inter accidentia et ipsum rem. Ita distinguuntur color et sapor in corpore, et color et corpus ipsum 4ª reperitur inter illa, quae nostro tantum concípiendi modo sunt distincta. Haec est duplex: cum fundamento in re, et sine fundamento. 1ª est quando ipsa res non distinctionem, sed motivum aliquod ad distinctionem concipiendam praestat: 2 quae non praestat. Primae exemplum. Deus est simplicissimus; sed finita mens nostra vidit Deum et justum, et sapientem, et distinguit justitiam a sapientia Dei, licet in Deo sint idem. Secundae nobis non veniunt in mentem exempla.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

§ II.

Singulare et universale.

¿Quid dicitur singulare? Illud, quod est individuum. Propterea singulare est indivissum à se, et divissum ab aliis: clarius, est unum in essentia, ac inde determinatum.

¿Quid deducitur ex hac deffinitione? Duo. 1.m Omnia, quae existunt, sunt singularia, cum nihil concipiatur existens, vel possibile, nisi determinatum et una coalescens essentia distincta ab aliis essentiis. Propterea genera, speciesque sunt ideae abstractae, non reales, cum objectum foris et extra mentem non illis respondeat. 2.m Constitutivae notae vel attributa, quae essentiam formant, erunt illa, quae dici possunt tantum principium individuationis, quia propter unam essentiam, quam res habet, est determinata, una, individua, et non est duo, vel tres.

¿Quid est universale? Unum in multis.

¿Quotuplex est? Vel est causa universalis, vel signum universale, vel essentia universalis.

¿Admitti debent universalia? Nihil obstat quod per abstractionem concipiamus rem, quae in pluribus reperiatur et eadem voce significetur. Caussa universalis concipitur, quae est Deus. Essentia, quae in pluribus, ea constituens, reperiatur, non concipitur, quia esset una et multiplex, et tunc res esset aliquid, et non esset: es-

set unum, quia supponitur; non esset unum, quia multiplex.

§ III.

Simplex et compositum.

¿Quid est simplex? Quod nullas habet partes.

¿Quid compositum? Quod partibus constat.

¿Quid in simplici notas? Quod simplex concipitur priusquam compositum, quia nequeo unionem partium concipere, quin priús partes uniendas concipiam. Si partes componentes compositae dicantur, harum principia, vel simplicia quaeremus. Ergo aut processus in infinitum admittendus, quod absurdum, aut ratio sufficiens compositionis est simplex, ad quod mente saltem pervenire debemus, ut compositio concipiatur.

¿Quid infers? Ens simplex generatione non efficitur neque a composito, neque a simplici. Non a composito, quia simplex concipitur prius quam compositum. Non a simplici, quia, cum partibus careat, si aliquid evelleretur ex eo, aut pars, quam non habet, aut totum evelleretur, et jam non esset generatio. Praeterea simplex ens in aliud non transmutatur, quia aut totum esse dessineret, et non esset conversio vel transmutatio, sed anihilatio, aut pars transmutaretur, et partes haberet, vel non esset simplex.

¿Quomodo producuntur entia simplicia? Ex nihilo, vel per creationem. Nam, non generatione, ut dictum est, nec conversione. Et crea-

tio fit in momento, vel sine successione: nam, cum creantur simplicia, aut tota in simplici momento creantur, aut per partes, et non essent simplicia.

¿Quid addis circa compossitionem? Composita simplicia, ex quibus fiant, supponunt; sed fere omnia sensibilia composita non ex simplicibus immediaté, sed ex aliis, compositis etiam, fiunt, quae respectu totius, quod efforinant, simplicia dicuntur. Praeterea, partes componentes aut sunt essentiales, quia ad essentiam pertinent, ut anima et corpus in homine, aut integrantes, quae non pertinent ad esseńtiam, ut nasus et auricula in homine ipso. Primae totum efformant Phisicum, sive essentiale dictum; secundae totum integrale. Insuper, partes aliae dicuntur aliquotae, aliae aliquantae. Primae repetitae totum exacté exhauriunt, quin defficiat vel supersit aliquid: v. g. numerus secundus numerum octavum componit exacté, si quater repetatur. Secundae, licet repetantur, aliquid defficit, aut superest, ut idem numerus secundus respectu noveni: si repetatur quater, octo componit, si quinque, decem.

¿Quid est unio? Nexus partium, quo posito, totum exurgit.

§ IV.

Absolutum, et relativun.

¿Quid dicitur absolutum? Quod respectum ad aliud non dicit sub notione, qua ut tale re-

praesentatur. Sic lapis sub notione lapidis respectum ad aliud non habet.

¿Quid dicitur relativum? Illud, quod respectum dicit ad aliud. Sic Pater respectum dicit ad Filium. Ergo relatio est respectus unius ad aliud.

¿Quot ideas excitat relatio? Tres: duorum terminorum, et nexûs. Terminus unus dicitur subjectum v. g. Pater. Alius dicitur terminus v. g. filius. Nexus dicitur fundamentum, v. g. Paternitas, vel potius generatio.

¿Quae dicuntur relata? ¿Quae correlata? Relata sunt termini relationis, si mutua non sit relatio. Sic pater et filius sunt relata. Si mutua sit, dicuntur correlata. Sic duo parietes, si relatio constituatur in albedine, sunt correlata, quia duo parietes sunt aequaliter albi.

¿Quid est relatio essentialis? ¿Quid accidentalis? Si fundamentum relationis sit relatis intrinsecum, relatio est essentialis: v. g. relatio duorum hominum consistens in rationalitate et animalitate. Si relatio sit sita in accidentibus, accidentalis dicitur. Talis est duorum Aethiopum relatio, quae nigredine consistit.

¿Quid est relatio realis? ¿Quid mentalis? Realis, quae reperitur inter res non mente, sed re distinctis. v. g. Inter Patrem et Filium. Mentalis est, quae reperitur in rebus conceptu tantum nostro distinctis, v. g. inter deffinitionem et rem deffinitam.

¿Quid est connexio? Nexus duorum. Si hic nexus talis est, ut terminus unus sine alio esse nequeat, dicitur connexio mutua. Sic omnipotentia connexa est cum possibilitate rerum,

quam necessario includit divina foecunditas. Mutua connexio non est, si terminus unus sine alio esse potest. Sic Deus sibi sufficiens mutuam connexionem non habet cum existentia rerum, quam dat, si vult, et non necessario.

¿Quid est dependentia? Idem fere ac mutua connexio. Est duplex: aut intrinseca, aut extrinseca. 1º est inter res et sua constitutiva. 2º inter res et illud, quod ad suam existentiam est necessarium.

§ V.

Finitum et infinitum, mutabile et inmutabile.

¿Quid est limes, terminus, aut extremus rei? Id, ultra quod nihil aliud restat ad eamdem rem pertinens. Hinc, ubi res finit, est illius realitatis deffectus sive carentia.

¿Quot sunt limites? Extensionis, et intensionis. Extensio est positio partium extra partes. Intensum, quod, salva extensione, augeri potest et minui in aliqúo, ut calor. Limites extensionis sunt id, ultra quod extensum non porrigitur amplius, spatium occupando. Limites intensionis sunt in determinato graduum intensitatis numero, ultra quem incipit deffectus illius qualitatis. Gradus sunt pártes, in quas dividitur intensio.

¿Quid deducis? Omne, quod limites habet, caret aliqua realitate. Nam, si extensum est, caret ampliori extensione, quam concipimus Si intensum, caret aliquo gradu, quem etiam con-

cipimus. Vicissim, quod non habet realitates omnes, quas concipere possumus, est limitibus circunscriptum.

Deduco secundo, quod si ens limites habet, aliud majus in eo genere potest excogitari, nempe illud, quod habet realitates, quae ipsi ob limites dessunt. Vicissim, si majus ens aliquod concipimus, illud, quod hoc minus est, est limitatum.

Deduco tertio; Ens limitibus claussum, cum valeat augmentum accipere, potest pati sui status mutationem, quando ipsi veniant realitates, quae ei dessunt, et est eus mutabile.

¿Quid est finitum? ¿quid infinitum? 1.ᵐ est illud, quod limitibus clauditur. 2.ⁿ quod non clauditur limitibus. Cum inter haec non sit medium, omne ens aut est finitum, aut infinitum.

¿Ex entibus finitis coalescere potest infinitum? Minime: nam finitum quodlibet aliquo caret. Ergo, licet plurima adunentur, sunt plurimi realitatum deffectus, quod cum infinito pugnat.

¿Quotuplex est infinitum? Duplex: categorematicum, sive absolutum, quod in se est infinitum, et sincategorematicum, sive relativum, quod in se est finitum, sed nobis infinitum, quia nullum majus excogitare possumus.

¿Quid est infinitessimum vel infinitessimale? Illud, quo minus nihil possumus excogitare. Est infinité párvum respectu nostrûm.

¿Possunt existere duo infinita? Ne id quidem. Si possent existere, aut erunt dissimilia, aut similia. Si primum, uni dessunt rea-

litates, quas habet alterum, et tunc ambobus deest, quod quodlibet habet, et non erunt infinita, contra hypothesim. Si sunt similia, aut sunt aequalia, aut inaequalia. Si 2.m minus caret illo, quo ab altero exceditur, et non esset infinitum. Si 1.m erit aliqua ratio sufficiens, qua unum non sit alterum. Haec ratio aut est in *A*, aut *B*. Si in B, A ex B dependet, et tunc non erit infinitum, quia illi deest realitas una, nempe independentia, vel existentia a se. Si in A, B dependebit, et non erit infinitum. Si in ambobus, neutrum erit infinitum, cum unum ab alio dependeat. Nequeunt ergo esse duo infinita.

¿Quid est mutatio? Transitus ex uno statu vel modo existendi ad alium. Fieri potest per adquisitionem, vel amissionem realitatis.

¿Quotuplex est mutatio? Duplex: interna, et externa. 1a intrinsecam in sujecto diversitatem inducit, vel majorem, vel minorem, pro ratione realitatis amissae, vel adquisitae. 2a externam diversitatem inducit, vel diversam relationem cum objectis externis. Haec externa mutatio potius dicenda est mutatio objecti externi. Sic Deus diversum respectum dicit ad creaturas, quae mutatae sunt ex esse intelligibili ad esse actuale.

§ VI.

Necessarium, et contingens.

¿Quid est necessarium? Illud, cujus oppositum est impossibile.

¿Quotuplex est necessitas? Absoluta, et hypothetica. 1ª Est necessitas independens a conditione. v. g. Totum est majus sua parte. 2ª dependet a conditione. v. g. Necessarium est quod pulvis pyrius ardeat, si illi applicatur ignis.

¿Quotuplex est conditio? Triplex: antecedens, concomitans, et subsequens. Hinc necessitas conditionata his tribus modis evenit. Conditio antecedens praeit effectum, ut decretum Dei aeternum inducit necessitatem antecedentem creationis creaturarum in tempore. Conditio concomitans comitatur productionem effectûs. Sic, possitis attributis rei, conditio posita est existentiae rei ipsi concomitans. Conditio subsequens effectum subsequitur. Sic productio rei fuit conditio, ex qua necessario subsequitur rem non potuisse non existere, cum nec Deus facere possit, quod non fuisset, quod jam fuit.

¿Quotuplex itidem est necessitas? Metaphisica, Phisica, et Moralîs. 1ª est cujus oppositum est metaphisice impossibile. 2ª est cujus oppossitum est phisicé imposibile 3ª cujus oppositum est moraliter impossibile.

¿Quotuplex demum necessitas? Determinata, et vaga. 1ª Est, quae cadit super rem determinatam. v. g. Qui scribit, scribit hoc, et non alio calamo, si nullum habeat praeter unum. 2ª Cadit supra rem indeterminatam. v. g. Qui scribit calamo scribit, sed quocumque calamo, si plures habeat.

¿Quid est contingens? Contrarium necessario. Illud nempe, cujus oppositum non est absoluté impossibile. Hypothetice necessaria sunt contin-

gentia, quia non est oppositum absolute impossibile.

¿Quid dicis de ente necessario? Ens, quod in sua essentia habet rationem sufficientem existendi, necessario existit. Nam, cum essentia sit aeterna, ratio sufficiens suae existentiae in ipsa contenta est aeterna. Cum autem, possita ratione sufficiente existentiae, existentia ponatur, sequitur existere ab aeterno illud ens, quod in se habet rationem sufficientem suae existentiae, ac inde non dependere ab anteriori. Ergo est non contingens, et propterea necessarium.

¿Quid ex dictis sequitur? A contrario: Ens, quod in se non habet rationem sufficientem suae existentiae, est contingens.

Sequitur etiam ens, quod in se talem rationem sufficientem habet, esse aeternum, quia est necessarium. Si autem initium haberet, vel haberet finem, esset contingens, quia fuit, vel esset tempus, in quo non pugnaret non existere, quod contingentiam arguit.

Sequitur praeterea, hoc ens, de quo loquimur, esse immutabile. Ratio est, quia est ens necessarium. Ergo necessariae sunt omnes ejus realitates, ita ut nullas amittat, nullas lucretur, quia hoc supponit contingentiam.

Sequitur insuper hoc ens, de quo sermo, esse simplex. Nam, si compositum, pendet a partibus. Ergo contingens. Si dicas partes habere posse, si sint necessariae, respondeo, aut pars necessaria est solummodo una, vel multae sunt. Plures esse non possunt, quia, cum omnes relitates habeant, essent in se infinitae. Ast plu-

ra infinita esse non possunt. Ergo est una. Ergo simplex.

Infinitum esse deducitur ex eo, quod, si finitum esset, esset contingens, quia aliquid ei deesset, et tunc pugnat cum essentiae et existentiae necessitate.

Sequitur praeterea omnes possibiles perfectiones habere. Ergo perfectissimum, excludendo imperfectiones, quae perfectionibus sint admixtae. Continere debere omnes perfectiones deducitur ex eo, quod sit infinitum.

¿Quot sunt perfectionum genera? Pura, et mixta. Pura est, quae nullum deffectum includit. Has ens necessarium habet, ut diximus. Aliae sunt, quae aliquem deffectum supponunt, et sunt mixtae. Sic ratiocinari in homine est perfectio, sed mixta cum imperfectione non videndi uno intuitu res. Hae non reperiuntur in ente necessario nisi eminenter: hoc est, continentur purgatae parte imperfectionis. Sic ens necessarium videt omnia, et quae videt homo, sed sine ratiocinandi necessitate.

Deducitur item ens a se esse immenssum. Illud enim est infinitum. Ergo limites non habet in realitatibus earumque gradibus, sive intensione. Cum autem, quia infinitum, habeat omnes possibiles perfectiones, cumque perfectio sit esse ubique simul, etiam hoc sensu immensum est.

Etiam deduco ens a se esse unicum Nam, illud est infinitum. Duo infinita esse non possunt. Ergo unicum. Deinde si duo essent, utpote perfectissima, essent liberrima. Ergo possent eorum

voluntates in rerum molitione opponi, et bella ridicula Gentilium Deorum inducerentur.

¿Quid dicis nunc de ente contingenti? Contraria quae de necessario: nempe contingens nec unicum, nec infinitum, nec immensum &c.

¿Quid amplius dicis de contingenti? Nec in alio contingenti, nec in tota colectione contingentium, sed extra, rationem suae existentiae habere potest. Nam, si in se ipso eam non habet, nec in colectione aequalium. ¿Si quodlibet eorum insuficiens est ad sibi praestandam existentiam, praestabunt plures, infinitae, si velis, insuffitientiae conjunctae? Tunc plures privationes realitatem producere possent, plures coeci videre, plures tenebrae lucere &c.

Hoc confirmatur ex eo, quod quodlibet independens est unum singulare. Plura contingentia conjuncta est complexio singularium. A singularibus autem recté enumeratis, illud collectioni tribuitur, quod in quolibet reperitur ut essentiale Dependentia est quid essentiale. Ergo si unum contingens est dependens ab alio, et tota colectio. Ni hoc ita esset, plures irrationales rationale aliquid possent producere.

Praeterea, dependentia vel contingentia unius entis est ad suam existentiam, ut contingentia omnium ad omnium existentiam: sed contingentia unius non sufficit ad suam existentiam ponendam. Ergo nec contingentia omnium conjunctorum existentiam omnium potest producere. Sic accidit in hac proportione 1 contingens, est ad 1 suam existentiam, ut 1 + 2 + 3 + 4 = 10 contingentia omnium, ad 1 + 2 + 3 + 4 = 10 exis-

tentia omnium. Hoc est $1 . 1 : 1 + 2 + 3 + 4 = 10$ ad $1 + 2 + 3 + 4 = 10$ = brevius $1 . 1 : 10 . 10$

¿Quid volunt Athei ut Mundi existentiam absque existentia entis necesarii explicent? Fingunt Mundum ab aeterno extitisse, et infinitam catenam entium contingentium sibi succedentium, quae catena sit ratio sufficiens existentiae contingentium.

¿Quid de hoc dicas? Si haec catena est aeterna, aut omnia entia aeterna, et tunc independentia et non contingentia, aut saltem aliquod ens ex catena ab aeterno extitit: quia, si nihil in catena aeternum est, ¿unde catenae venit aeternitas? Si unum est aeternum, erit aeternum, quia supponitur, et contingens, ut fatentur, ac inde non aeternum. Ergo aeternum et non aeternum, quod contradictorium. Haec absurda devorant ii, qui, ut impudenter vivant, cecutire volunt.

¿Quid deducis ex existentia contingentis? Nemo negavit existere contingentia. Ergo ex dictis deducitur existere ens necessarium, ac inde infinitum, perfectissimum &. id est, Deum.

CAPUT QUINTUM.

De variis entium affectionibus.

§ I.

De caussis et effectibus.

¿Quid est principium? Illud unde aliquid,

quod principiatum dicitur, oritur. Ergo in principio ratio sufficiens principiati est, ac inde, eo posito, et principium poni necesse est. Insuper, principium prius concipitur principiato.

¿Quot modis res est altera prior? Origine, naturâ, et tempore. Prior origine principiati origo est, sed cum eo naturam eamdem habet. Sic Pater aeternus est principium Filii. Prior naturâ aliquid influit ut producatur principiatum, sed habet naturam ab eo distinctam. Sic humanus pater est prior. Prior tempore est, quod aliud tempore antecedit.

¿Quot sunt principiorum genera? Tria: essentiae, in quo continetur ratio cur haec, et non alia constitutiva res habeat: existentiae, a quo essentia existens redditur: cognitionis, ubi est ratio cur res cognoscatur. v. g. medius terminus est ratio, per quam consequentiam noscimus.

¿Quid est caussa? Principium existentiae. Res vero, quae existentiam consequitur, effectus vel caussatum dicitur. Ergo principium omne non est caussa principiati; sed omnis caussa principium est existentiae. Praeterea, effectus caussam praesentem et operantem supponit, licet, eo producto, caussa defficiat.

¿Quot generis sunt caussae? Quinque: efficiens, materialis, formalis, finalis, et exemplaris.

¿Quid est coussa efficiens? Quae phisice influit in effectûs existentiam; vel in cujus actione est ratio ultima, qua effectus existat. Ergo potentiam agendi habere debet.

¿Quid deducis? Nullum ens esse potest caus-

sa ipsius, quia caussa prior est, effectus posterior. Ergo res, sui caussa, esset prior, et posterior simul, quod pugnat. Nec res duae possunt esse mutuó caussa unius de alia. Nam, ut caussa, una esset prior, ut effectus aliûs, esset posterior. Praeterea, ens necessarium caussam non habet, quia est independens.

¿Quot sunt status caussae? Caussa est in actu primo, quando potest producere, sed actionem non exerit: et in secundo, quando exerit, et effectum producit. Actus primus vel est remotus, quando consideretur virtus caussae nondum expedita: vel proximus, si consideretur omnibus requisitis expedita. Conditiones sunt necessariae ut caussa expedita sit Illae sunt possitivae, ut aplicatio ignis ut comburat, aliae negativae, ut humiditatis carentia, ut ignis urat. Haec vocantur conditiones sine quibus non.

¿Quotuplex est caussa efficiens? Prima, quae est Deus; secunda, quae sunt creatae; libera, quae sua voluntate liberé operatur; necessaria, quae necessario agit. Principalis, quae primario effectum producit; instrumentalis. quae principali est ut instrumentum ad operandum. Phisica si sua materiali actione operetur Moralis, si per alia operatur. Caussa mediata est, aut immediata. Inter hanc et effectum nulla est media: talis est Pater respectu Filii. Mediata est, si alia caussa media est, v. g. Avus est caussa mediata nepotis.

¿Quotuplex demum est caussa? Per se, et per accidens. 1. de consulto et intentione operatur. 2. est, si praeter intentionem res producat.

¿Quot modis effectus in caussa contineri potest? Formaliter, virtualiter eminenter. Formaliter, si continetur eodem modo ac est extra illam, ut pullus in ovo. Virtualiter, si tantùm in caussa est potentia vel virtus ad producendum Eminenter, si res in caussa continetur purgata ab imperfectionibus Sic ratiocinium est in Deo eodem modo ac de mixtis perfectionibus antea diximus

¿Quid est caussa materialis? Materia, ex qua res fit. Est triplex, ex qua, in quâ, et circa quam. 1ª ex qua res fit. 2ª in qua aliquid recipitur. 3ª circa quam res versatur. v. g. colores sunt materia ex qua picturae: Tabula in qua pingitur imago est materia in qua: Fabula, v. g. quae exprimitur, est materia circa quam.

¿Quid est caussa formalis? Forma vel dispositio materiae.

Quid est caussa finalis? finis, quem sibi proponit caussa efficiens ad operandum, et est illud propter quod aliquid agimus

¿Quotuplex est finis? Proximus, remotus, et ultimus. Proximus est, qui immediaté intenditur. Remotus, qui intenditur mediante proximo; ultimus ille est, cui omnes intermedii diriguntur: v. g. comedo ad famem depellendam; finis proximus. Depello famem ad vires reficiendas: finis remotus. Vires reficio, ut Deo serviam. Finis ultimus.

¿Quid deducis? Caussa propter finem agens est intelligens, nam alio modo finem et media non cognosceret.

¿Quid est medium ad finem? ¿quid impedi-

mentum? Media sunt ea, quae fini consequendo inserviunt. Impedimenta, quae obstant.

¿*Quid est caussa exemplaris?* Illud ad cujus exemplar aliquid fit.

¿*Quid est caussa occassionalis?* Quae, licet nihil in effectu producendo agat, occasionem praebet caussae efficienti ad operandum.

¿*Quid est caussa adaequata, quid inadaequata?* Prima sola effectum producit. Secunda sociam habet ad operandum.

§ II.

De substantia et accidenti.

¿*Quid est substantia?* Videmus mutationes subire entia, quae adsunt, et absunt, salva essentia. Supponimus aliquid esse, in quo mutationes recipiantur. Illud subjectum mutationum substantiam vocamus, quia mutationibus, vel accidentibus substat. Est ergo substantia, quod per se subsistit, et alio non indiget, cui inhaereat.

¿*Quotuplex est substantia?* Spiritualis et corporea. Alii credunt res esse, quae nec spiritus, nec corpora sunt, et eas vocant immateriales, ut vires, attractio, nempe, inertia &c. Has non volunt esse accidentia, quia ad essentiam pertinent corporis; non substantias, quia non concipitur, quomodo existant sine aliquo subjecto. ¿Quid erunt?

¿*Quotuplex substantia spiritualis?* Independens, ut Deus, et dependens. Haec aut corpo-

ri regendo non destinata, ut Angelus, aut corpori destinata, ut anima humana, et brutorum anima. Haec humanâ est imperfectior, ut Psichologiâ dicitur.

¿Quid dicis de substantia? Est simplex. Nam una simplex substantia unita alteri substantialitatem vel subsistentiam per se non auget, nec mutat; sed auget numerum substantiarum. Ergo una pars solúm est substantia. Ergo compossitum potius dici debet substantiae, vel aggregatum substantiarum, et non substantia.

¿Quid dicis de absolutis scholasticorum accidentibus? Haec vocantur illa, quae miraculo sine subjecto esse possint, quod esse nequit in accidentibus comunibus. Praecipua ratio Scholasticorum ad haec accidentia admittenda, est ut salva sint accidentia in Eucharistiâ, ubi panis non est, et sunt accidentia panis. Haec ratio est nulla. Nam aut recipiuntur in corpore Christi, aut non sunt nisi apparentiae vel species, aut aer circumdans hostiam est subjectum, in quo color, sapor &c panis recipiuntur.

§ III.

Subsistentia, suppossitum, et persona.

¿Quid est subsistentia? Substantiae complementum, quo fit, ut suarum actionum principium sit.

¿Quid est suppossitum? Substantia ita constituta, ut sit suarum operationum principium.

¿Quid est persona? Substantia intelligens sua-

rum operationum principium. Sic homo non dicitur suppossitum, sed persona.

¿Quid dicis de Personis in Trinitatis et Incarnationis misteriis? In humanis una essentia, vel natura unius hominis, una est tantum Persona. In Deo sunt tres Personae in una essentia divina. In humanis duae naturae duas habent Personas. In Verbo incarnato sunt duae naturae, Divina et humana, et est tantum una Persona divina.

¿In quo subsistentia consistit? In negatione unionis unius entis cum alio ente.

§ IV.

De quantitate et qualitate.

¿Quid est quantitas? Numeras partium, ex quibus res coalescit. Extensio non est major, vel minor in corpore, cum magnum corpus eodem modo ac minimum partes habeat extra partes. Quantitas esse potest major vel minor, pro majori vel minori numero partium.

¿Quid est qualitas? Quod adesse et abesse potest salva extensione, et per gradus metitur, prout diximus cum de intensione loquebamur.

¿Cujus generis est idea substantiae? Abstracta. Non enim exhibet aliquid determinatum, sed vagé illud, quo recipiuntur mutationes in quantitate et qualitate. Hae sunt quae determinant ita, ut cadentibus in substantia sive substracto, exoriatur hoc, et non aliud.

¿Quotuplices sunt qualitates? Primitivae et

derivativae. Primae sunt, quae primúm conci. piuntur modificantes substantiam, et propterea quae non nascuntur ab aliis. v. g. impenetrabilitas in corpore. Secundae sunt, quae a primitivis nascuntur, et post illas concipiuntur: v. g. durities in corpore, quae nascitur ab attractione. Qualitates sunt accidentales respectu substantiae, et essentiales respectu compossiti et entis determinati. Hoc intelligitur de primitivis. Secundariae sunt accidentales respectu substantiae, et compossiti.

¿Quid est aequalitas? Identitas numero et specie, extensione et intensione rerum. Propterea consistit in indivissibili,

¿Quid est similitudo? ¿quid dissimilitudo? Similitudo est non identitas totalis, sed partialis, quantitatum et qualitatum. Quo magis ad identitatem res accedant, eo sunt similiores.

§ V.

De motu et quiete.

¿Quid est motus? Translatio corporis de loco ad locum. Ergo in motu sunt tres termini: á quo recedit corpus, per quem transit, ad quem accedit vel pervenit.

¿Quo aspectu motus consideratur? Ut qualitas, quae per gradus metitur. Sic motus est gradibus alio motu velocior.

¿Quid est linea directionis, vel directio? Quando corpus movetur, spatium, quod currit, est conjunctio linearum paralellarum eadem di-

rectione. Ergo una tantum exprimere potest directionem, et haec vocatur directio. Cum linea non nisi a puncto currente gignatur, corpus motum instar puncti consideratur. Ergo corpus unam tantum directionem sequitur, quia, si duas haberet simul, esset punctum unum simul duobus locis, quod pugnat.

¿Motus est successivum ens? Utique, quia, cum nequeat corpus esse simul in pluribus locis, cumque motus tres terminos exigat, sequitur primó esse in uno, postea in alio, et hoc est successio.

¿Omnes motus reducuntur ad localem motum? Dum corpus quantitatem mutat, est quia veniunt novae partes, vel fugiunt. Hoc sine motu locali esse nequit. Cum mutat qualitatem, aut dissociantur, vel recedunt partes, aut magis uniuntur. Hoc item non fit sine motu locali. Ergo mutationes omnes, vel motus ad quantitatem et qualitatem, reducuntur ad localem.

¿Quid est motus internus vel intestinus? ¿quid: externus? Primus est, si mutatio interné fiat; secundus si externé.

¿Quid est quies? Motus privatio: vel quando nulla mutatio vel motus contingit.

Quae dicta sunt de Ontologia, sufficiant.

COSMOLOGIA

DISSERTATIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

Mundi notio, et ejus partium nexus.

¿ *A quo derivatur vox, quae exprimit Mundum?* A cosmos graeca, quae ornamentum significat, a latina mundus, quae significat pulchritudinem.

¿ *Quid est Mundus?* Sistema Coeli et Terrae.

¿ *Quid deducis ex inspectione Mundi?* Omnia ejus entia esse aut simultanea vel permanentia, aut succesiva. 1.ª sunt, quae coexistunt simul: 2.ª quae non interrupto ordine sibi invicem succedunt.

¿ *Quotuplex est entium connexio?* Si ens unum in anteriori rationem sufficientem habeat existentiae, est connexio temporis, v. g. dierum et noctium non interrupta succesio. Si sunt duo entia, et in uno est ratio coexistentiae aliûs cum eo, est connexio spatii et loci. Haec est in Terra respectu Lunae. Haec connexio connexio finis vocatur, quia ex fine proposito dependet, quod res ita existant.

¿ *Est in Mundo utraque connexio et ordo?* Quilibet Mundum intuens id cognoscit. Nam videt causas efficientes anteriores in posteriores influere, et res omnes ita esse possitas, ut mutuam

habeant relationem. Omnia ergo in Mundo connexa sunt.

¿Quid ex hoc deducis? Esse Actorem Mundi sapientisimum, et potentissimum, qui fecit, ordinavit, et regit Mundum.

¿Erit ergo necessitas vel fatum in Mundo, si omnia in illo ab aliis ratione ordinis statuti dependeant? Minime: ita factus est Mundus, ut Deus libere illum fecerit, et sint entia libera, quae necessitate non operantur, actiones morales praecipue.

¿Quid item ex ordine Mundi deducis? Non esse cassum et fortunam.

¿Quid est cassus? Fortuitus rei eventus. Quod si eventus sit prosperus, fortunâ productus creditur.

CAPUT SECUNDUM.

De Mundi existentia seu origine.

¿Materia Mundi est aeterna? Minime: 1.º quia materia est ens contingens, nihil enim obstat dicere potuisse non existere; et deinceps videmus non habere omnes realitates possibiles, et subjici tot mutationibus, quas notamus in dies. Sed ens contingens non est aeternum, quia supponit anterius ens necessarium, ex quo existentiam accipiat.

¿Quomodo fuit materia formata? Creatione, 1.º quia, si generatione, alia anterior materia existere debuit, et haec creatione facta esset. 2.º Si materiam dicis aeternam, erit quia cre-

dis effici non posse creatione Ergo idem dicis de anima humana. Sed nullus credet aeternam animam esse, cum tot signa in se videat temporarii originis. ¿Quare meminimus eorum, quae nobis primis annis acciderunt, et nemo meminit rei illius, quae ducentis annis anterior existit? 3.° Materia indifferens est ad quemcumque statum. ¿Quomodo enim sibimet dari posset existentiam, se determinando ad existentiam? Si dicis existentiam habuisse ab aeterno, sua essentia id habebit. Et cum Deus rerum essentias mutare non possit, eam destruere non poterit, quod absurdum. Ergo ab alio materia existentiam accepit.

¿Quid deducis? Si materia creata est in tempore, ergo et Mundus. Praeterea Mundus esse non potest pars vel emanatio substantialis divinae subtantiae, quia creatus, quia mutabilis, quia contingens.

¿Praeter allata metaphisica argumenta, sunt alia ad Mundi temporarium originem comprobandum. Phisica et Moralia.

Dic Phisica. Mundus mutationibus obnoxius non est aeternus. Historici naturales probant marium, terrarumque vicissitudines perpetuas. Homines statura imminuti sunt, ut constat ex cubito nostro comparato cum antiquo in Nilometro signato. Aetas hominis decrescit. Pratriarchae primaevi longaevi fuere. Homines Davidis temporibus ad septuaginta annos tantum vitam ducebant.

Dic Moralia. Contextor Nationum omnium consensum Mundum non aeternum fatentium. Artes et scientiae nullae antiquitus, postea auctae,

hodie feré perfectae sui initium demonstrant. Ergo et hominum. Ergo et mundi.

¿Potuit materia atque adeo Mundus creari ab aeterno? Non potuit, quia creatura supponit indifferentium ad existendum; nam semper debet concipi indeterminata ad existendum: Sed res aeterna concipi non potest indeterminata ad existendum: tunc enim conciperetur ut existens, quia aeterna, et non existens, quia indeterminata ad existendum. Hoc pugnans. Ergo non potuit ab aeterno creari.

¿Est aliud argumentum, quo id confici possit? Est. Mundus quoad entia succesiva non aeternus, ac inde, cum motus sit velut vita simultaneorum, nec haec aeterna esse potuerunt. Motus nequit esse aeternus. Fac Terram esse tardiorem Mercurio, ita ut hic triplo sit Terra velocior. Ergo, si ab aeterno sunt, simul in motum eruperunt. In aliquo puncto Mercurius fuit in illo spatii puncto, ad quod hodie pervenit Terra; et postea est alias duas distantias aequales primae dimensus. Ergo primum spatium est aequale secundo, et tertio. Haec sunt finita á parte ante, et post, et primum infinitum a parte ante, quia aeternum. Ergo infinitum aequale erit finito. Absurdum. Ergo motus non aeternus. Ergo nec Mundus.

¿Habet plures aetatis annos hic Mundus? Haec quaestio facti non Metaphisici est juris. Sed recentem esse ejus fabrica monstrat, et deffectus memoriae rerum ante bellum Trojanum, historiaque artium ostendit. Ex quo deducitur non excedere Mundum sex mille vel septem mille annos.

CAPUT TERTIUM.

De mundi perfectione.

¿Quid de Mundi perfectione sentit Leibnitzius? Esse omnium possibilium perfectissimum in se, et tam perfectum, ut Deus ipse meliorem alium condere non potuisse. Id probat speciosis, sed falsis rationibus. Nec alio modo probari poterat absurda et futilisima propositio.

¿Quomodo Leibnitzium impetes? Si Mumdus est possibilium perfectissimus, et possibiles sunt infiniti Mundi, ut fatetur Leibnitzius: si etiam, ut ille dicit, aequales esse non possunt, sed quilibet aliquid alii addit, sequitur Mundum existentem habere infinitas perfectiones. Ergo erit ens necessarium. Ergo infinitum. Ergo ipse et Deus erunt Duo infinita, quae esse non possunt.

Probatur etiam Mundum non esse in se omnium perfectissimum ex eo, quod finitus est. Sed infinita potentia creatoris exhauriri non potest creans rem finitam. Ergo potest alium Mundum meliorem creare.

Praeterea, si Deus ita hunc Mundum fecit, ut vult Leibnitzius, ut nec illum non creare non potuerit, nec alium nisi hunc creare, Deus liber non est. Absurdum.

¿Quo sensu Mundus dici potest perfectus? Relaté ad finem. Id est, ita conditus est, ut aptior sit ad finem, ad quem eum destinavit Creator. Si ita non esset, Deus esset inferior

artifice humano, qui, si sapit, artefacta ad finem sibi propositum ordinare scit, et etiam potest. ¿Non sciet, non poterit Deus infinité sapiens ad eligendum finem, infinite potens ad illum assequendum? Allata demonstratio est a priori. A posteriori effici nequit ab homine, qui omnia mundana principia non noscit, nec omnem ejus harmoniam atque consensum.

¿Unus an plures existunt Mundi? Superflua videtur interrogatio, cum quia via non patet, qua id sciamus, tum quia quaequmque entia a Deo in universitate rerum fuissent condita, ad unum conspirarent finem, uniusque Universi essent partes.

¿Quaenam est Universi extensio? Cum non possimus per omnes ejus regiones proficisci, nescimus. Hoc tantum affirmare possumus, Mundum habere terminos, quos Lucretius vocat moenia Mundi: aliter enim inflnitus esset. ¿Ecquis autem corporcum aliquod infinitum est crediturus?

CAPUT QUARTUM.

Metaphissica corporum notio.

¿Quid per corpus intelligis? Quidquid in Mundo sensus nostros quoquo modo afficere valeat, sive substantiam sensibilibus suis modificationibus sese nobis patefacientem. Illa substantia sola nobis insensibilis esset. Viribus, quae in ipsa recipiuntur, et dispositione partium, sive materiae, nobis sensibilis redditur.

¿Corpus est compossitum? Utique: cum enim

in sensus operetur, constat ex materia, modificatione ipsius, et viribus. Ergo materia per se sola corpus dici non potest abstracté considerata.

¿Substantiae materialis particula, si quae sola extaret, dici potest corpus? Non potest, quia non est compossita: corpora vero simpliciora, et quae minus sensibilia apparent, ut aer, et ignis purus, magis ad simplicitatem materiae accedunt.

¿Quot in corporibus qualitates praesertim animadvertimus? Quinque: Vires impenetrabilitatem, inertiam, et attractionem, extensionem, et mobilitatem, quae provenit a virium corporis limitatione. Quid sint hae qualitates, quidque corpus ab illis habeat, satis constat ex Phisica.

¿Elementa corporum sunt extensa? Non sunt, quia simplicia, ut constat ex Ontologia. Plura ex his unita extensionem componunt.

¿Omne corpus est divisibile? Est, quia compossitum, et viribus ad resistendum separationi limitatum.

¿Omne corpus est mobile? Est, quia ejus vires limitatae dici possunt.

¿Allatae quinque qualitates sunt corporibus essentiales? Mobilitas est, quia essentiale est corpori viribus esse finitum. Extensio est, quia essentiale est corpori sensibili plures partes habere. Tres aliae vires sunt essentiales, quia concipiuntur velut leges generales Naturae, quibus subjacet Mundus, et nec ab aliis nascuntur, nec incrementum decrentumve patiuntur. Tolle has vires. Tunc corpora erunt quodquumque ve-

lis, sed non corpora, quae in hoc Mundo sunt. Ergo essentiales, quia per ipsas corpora sunt id, quod sunt. Videas apendicem.

¿Existunt corpora? Sophistis Graecis hanc quaestionem committimus, vel iis, qui argutiis, somniisque delectentur.

CAPUT QUINTUM.

De corporum extensione. continuum.

¿Quid intelligis per continuum? Corpus ita extensuum, ut partes ligatae sint unum totum componentes. Ergo est partium numerus. Sunt aliae extra alias, quia aliter intra se existentes, in uno solo essent spatii puncto, et non plures dici possent, sed una: sunt ligatae, quia aliás non efformarent unum corpus sensibile, sed acervum corporum.

¿Quomodo efformatur continuum? Ut respondeamus, animadvertere opus est hac super re gravem inter Philosophos esse discordiam. Non omnes conveniunt in natura et numero partium corporis, et juxta suam sententiam quilibet continui explicat compositionem.

Eas sententias affer. Operosa res, difficilis, et inutilis. Pauca delibare sufficiat, ut hospites in quaestione celeberrima non videamur.

Aristoteles credit partes continui esse semper extensas, ideoque divissibiles. Si concipit partem, ejus concipit mediatatem, et hujus medietatis medietatem, sicque deinceps. Argumenta ex Matematica suppetunt, quibus infinitas par-

tes in quantitate ostendit. Continui formationem explicat dicens, esse extensum, quia ex extensis compositum.

Leibnitzius asserit partes continui esse finitas, quia tamdem aliquando ad inextensa puncta venitur. Nam extensum, dicit, est compossitum: Compossitum debet componi ex simplicibus, seu ex partibus, quae non habeant compossitionem eamdem, quam habet compossitum. Ergo in extenso continuo sunt inextensa. Aliter procederetur in infinitum. Partes extensae, addit, non producunt extensionem, quam jam habent, sed extensionis augmentum.

Inextensorum Patroni sic continui formationem explicant. Deus plures materiae partes inextensas creavit. Si uniantur duo, jam est numerus partium. Hae, quia impenetrabiles, non intromittuntur intra se; quia attractivae sunt ligatae. Ecce extensio continua. Inextensa admittit Boschovichius, sed discrepat in explicanda continui compositione. Credit duo inextensa, si conjunguntur, compenetrari, quia tanguntur secundum se tota. Errat. Duo extensa quoad totum tacta compenetrantur; duo inextensa non item, quia quaelibet diversam occuparet partem spatii. Ut huic incommodo obstet, credit contactum physicum vitare vim repulsivam, quam cuilibet inextenso concedit, et huic et spatio intermedio extensionem exortam tribuit.

Zeno antiquus, et aliqui ex Recentioribus, qui aliquid in ejus opinione inmutant, dicunt atomos, seu elementa materiae esse inextensa, quia quodlibet una sit pars, sed multis aequi-

valens; nam, licet magnum, et pluribus aequivalens, unam tantum habet essentiam, et limites sunt ad extrema, et non inter partes, quae sint intra ipsum. Eodem modo ac spatium unum est, et aequivalet infinitis partibus. ¡Rara extensio! Ergo continuum, dicunt, ex his partibus constans, semper concipitur divissibile.

¿Quid sentis de hac quaestione? Non credo esse misterium Naturae. Credo nos ideam, quam habemus de sensibili extensione corporis, quae subjicitur occulis, applicare velle ad elementa, sive inextensa, quod absurdum. Credo et scio, et demonstro corpus, et elementum, habere non posse infinitas partes, quia corpus, vel corporeum quid sunt. Credo, et experior ad limites, quos esse scio, intellectu perveniri non posse, ac inde corpus mihi est infinitum relativum, quod scio finiri, sed tantus est in eo partium numerus, ut eum complecti nequeam. Ergo corpus finitum partibus est. Ex inextensis constat; sed numerus partium mihi est infinitus, licet in se finitus. Concipere partem sine medietate durum mihi, quia extensa, quae tango, medietatem habent. Sed licet durum, verum. Si haec, ut credo, sunt vera, omnis haec quaestio, quaestio vocis est, ut credit Jacquierius.

§ II.

De corporum figurata extensione.

¿Quid est figura? Limitum extensionis corporis directio ac dispositio, qua fit ut sic, et

non aliter, et huccusque, et non amplius excurrat. Ergo a collocatione elementorum corporis oritur: quae elementa figuram non habent, quia ex anteactis sunt inextensa.

¿*Elementa corpus componentia sunt homogenea?* Nil obstat: frustra enim per plura fiunt, quae per pauciora effici possunt. Ast diversitas compositorum oriri potest, et explicari, partibus possitis homogeneis. Nam finge viginti octo alphabeti litterarum typos effici non continuo linearum ductu, sed punctis configuratos. Sic omnia omnium linguarum vocabula exprimi possunt, quae entium omnium diversitatem repraesentare valent. Omnes hae repraesentationes veniunt ab homogeneorum punctorum collocatione, collocationeque litterarum ex iis orientium. ¿Quidni ex homogeneis partibus efficiantur diversa, licet infinita, compossita? Praeterea, si aer in aquam et terram, ac fortasse, in ignem convertitur: si aqua in aerem transmutatur mediante eolipila, asserere possumus has res tam diversas ex partibus homogeneis constare. ¿Quare non ceterae?

CAPUT SEXTUM.

De spatio, loco, et tempore.

¿*Quid est spatium?* Capacitas, quam concipio, in qua corpora recipi possunt, et recipiuntur.

¿*Quotuplex est?* Internum, sive insensibile, et externum sive sensibile. Primum est ipsa ca-

pacitas, cujus pars repletur a corpore, et protenditur ita, ut infinita concipiatur. Secundum est ordo coexistentium, cum primum extra secundum, hoc extra tertium concipimus, sicque deinceps. Sic spatium sensibile Urbis est ordo aedificiorum, quo omnia invicem respondent, et collocata intelliguntur.

¿Quid est corporis locus? Internus spatii pars, quae a corpore occupatur: externus ordo coexistentium, sive modus determinatus, quo corpus hoc corporibus aliis refertur ratione distantiae, et aliorum.

¿Quotuplex locus? Communis, et proprius. Primus est, quo plura entia continentur. Secundus pars loci communis á quolibet ex illis entibus occupata. Item locus est absolutus, et relativus. Ille sine respectu ad alia entia consideratur; hic cum respectu ad alia.

¿Quid deducis? Locum externum esse merum phoenomenon, quia in apparientia, vel modo apparendi corporum consistit.

¿Quid sunt spatia imaginaria? Illa, quibus nullum corpus collocatum esse intelligimus, sed intelligimus collocari posse. Talia sunt, quae extra Mundum concipimus.

¿Quid est tempus? Succesiva rerum duratio, quatenus nulla retardatione, nec acceleratione, nec interruptione concipitur.

¿Quotuplex tempus? Absolutum, et relativum. Primum est ipsa rerum duratio in se spectata. Secundum est comparatio durationis rerum ad motum aliquem corporis, puta Solis, nobis sensibilem, e cujus partibus durationis mensuram sumimus.

¿Est certa haec mensura? Motus Solis est metiendae durationi aptior, quia notabilior, et exactior; sed aliquo a regularitate deflectit.

CAPUT SEPTIMUM.

Naturale et supernaturale.

¿Quid intelligis per Naturam? Principium activum, vel energiam cujuscumque rei.

¿Quot modis concipis hoc principium? Aut ut essentiale rebusque internum, ut in impenetrabilitate, inertia, attractione in corpore: aut ut ab essentiali exortum ut in propietatibus, v. g. soliditate in ipso corpore: aut ab extra veniens, ut, v. g. in vi centrifuga Planetis a Deo comunicata: aut veniens ita ut neque vim inferat, neque exigatur a re, cui advenit, ut in hac vel alia directione motûs.

¿Quid deducendum? Res, quae de essentia sunt, aut juxta leges essentiales rei operantur, absoluta necessitate fluunt, quin illa variari possit potentiá ullá: essentiae namque sunt immutabiles, ac necessariae. Proprietates, cum necessario sint essentiis connexae, variari nequibunt. Caetera variari, et mutari possunt, salva essentia, quia ab extra veniunt.

¿Quid est ordo Naturae? Aliqua Naturae lex.

¿Quid est cursus Naturae? Eventuum series juxta Naturae ordinem, seu leges.

¿Quot sunt effectuum genera? Tria. Sunt effectus naturales, praeter naturales, et supernaturales. Naturales sunt, qui juxta ordinem, aut

cursum Naturae fiunt. Praeter naturales supponunt vim alicui peculiari naturae illatam ab alia fortiori, quin leges Naturae violet. Sic lapidi ab alio agente major calor induci potest, quàm quem habet in suo naturali statu. Supernaturales effectus sunt, qui contra ordinem Naturae patrantur, vel invertendo quoad substantiam ita, ut res accidat contraria iis, quae fieri debebant: aut invertendo solum modum ita, ut alio fiat distincto ab eo, quo debebat fieri. Primae inversionis exemplum sit resuscitatio mortui; secundae instantanea infirmi curatio.

¿Quid est miraculum? Effectus supernaturalis prima, vel secunda ex inversionibus allatis productus.

¿Quando invertitur lex, tollitur vel variatur rei essentia? Minime, cum sit necesaria et inmutabilis.

¿Tollitur vel variatur rei proprietas? Minime, cum ab essentia necessario manet.

¿Ut hoc intelligamus, aliquod miraculum explica? ¿Quo modo corpora v. g. impetrabilia penetrantur miraculose, cum impenetrabilitas sit lex Naturae, et unum ex corporis atributis, et soliditas sit proprietas? Non tollitur vis, sed vincitur, eadem vis quantitate manente, vel eodem conatu ad resistendum. Hujus vis proprietas est ut non vincatur, dum non superatur. Ergo superatà, non est soliditas, et non aufertur propterea proprietas. Impenetrabilitas tanta est vis, ut naturalis caussa eam vincere nequeat. Propterea corpus est naturaliter solidum, ast non supernaturaliter. Verbo impenetrabilitas vinci non potest,

nisi vis major naturali eam vincat, sed, victa, non est extincta. Impenetrabilitas non victa parit proprietatem soliditatis: ea victa est ipsius proprietas, ut non pariat soliditatem. Sic judica de aliis viribus et effectibus. Caeterae aliûs generis vires, dum vis alia adsit major ad eas tollendas, tolli possunt, cum nec sint essentiales, nec sint proprietates.

¿*Miraculum est possibile?* Utique, quam effectus supernaturales essentias rerum non mutant, nec propietates tollunt, quod esset penitus imposibile: solum exigunt, ut fiant viribus, quae naturalibus sint majores. In iis rebus, quae ad essentiam non pertinent, nulla apparet imposibilitas in suspensione aut inmutatione, si adsit vis naturalibus major. Ergo si adsit vis talis, quae naturales superet, omnes supernaturales effectus produci possunt. Ast Naturae Auctor Creator omnium has majores vires habet, quia habet infinitas. Ergo miraculum est posibile.

Praeterea, ens necessarium, ex dictis antea, Mundum sua voluntate creavit, et ita, ut ejus creatione illius vi exahusta non fuerit. ¿Non poterit ergo sua voluntate res, quin essentias inmutet, suspendere, et inmutare, quando illi placuerit? ¿Non potuit sibi reservare id facere quando voluerit?

¿*Quid ex dictis deducedum?* Soliûs Dei esse miracula operari, quia ipse solus vires habet naturalibus superiores. Ergo ipse, et non alius, miracula inversionibus vel quoad substantiam, ut dicunt, vel quoad modum faciet.

¿*Mutatio miraculo producta, nisi alio portento restituatur, ordinem novum ingerit?* In-

gerit eodem modo ac, si artifex horologii indicem rctrorsum vertit, horas modo eodem, quo antea, non signat, nisi iterum ab artifice index autrorsum trahatur.

¿ Sunt aliqui effectus, qui naturae vires non superent, et rari aut extranei dici debeant? Erunt: v. g. Translatio Prophetae ex Pelestina ad Babiloniam, ut prandium Danieli subministraret, si facultates activas Angeli hic effectus minime supperabat. Sed de Cosmologia huccusque.

DISSERTATIO TERTIA.

PSICHOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

De animae existentia, ejusque facultatibus.

¿Quid tibi est anima? Principium activum, quo vigemus, sentimus, et cognoscimus.

¿ Est in nobis anima? Mecum, vel nemine dicente, scio, me interné agere, et in me agere res alias, quae in me non sunt, et res has ab aliis, et á me distingui sentio. Ergo extat in me principium, quod interné agat, et extra me res, quae me afficiunt. Hoc principium voco animam. Est ergo anima, et id me propria conscientia suadet.

¿Quid est conscientia? Hic velut tactus interior, quo sentio me interné agere, et in me

alias res agere, quo mediante, me et res alias cognosco.

¿Quid est cognitio? Intima reí alicujus repraesentatio. Ergo hic tactus repraesentandi nobis interné objecta, facultatem supponit repraesentantem.

¿Quid est facultas cognoscendi? Haec potentia interné res repraesentandi.

¿Quotuplex est? Superior, et inferior. Haec ad objecta materialia se extendit. Illa etiam ad res sensibus remotas.

¿Quas res cognoscere possumus? Aut sensibiles et individuales, aut abstractas et universales, et primae aut sunt praesentes, aut absentes.

¿Quid vocatur sensatio? Cognitio objecti praesentis.

¿Quid imaginatio? Cognitio objecti sensibilis absentis, ut praesentis.

¿Quid intellectio? Cognitio rerum abstractarum, et universalium.

¿Res cognitas appetimus vel fastidimus? Experientia id constat.

¿Quid est voluntas? Motus quidam, quo res cognitas babere cupimus, vel a nobis abesse desideramus. Hic motus in belluis appetitus solet vocari.

CAPUT SECUNDUM.

De facultate sentiendi.

¿Quid est facultas sensitiva? Potentia illa, quae in anima nostra res extra se existentes, et eam quodam modo afficientes, percipit aut cognoscit.

¿Quomodo res extra nos existentes animam afficiunt? Mediantibus sensibus externis corporis, qui sunt velut animi nuntii, qui relationes rerum externarum cum ipsa anima exhibent.

¿Quot sunt sensus? Notissimi illi, visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Nihil rei externae nisi per hos sensus ad animam venire potest: unde adagium, *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.*

¿Quomodo per ipsos notitias ad animam veniunt? Ex cerebri substantia per corpus totum fibrillae tenduntur, per quas commotas ab objectis externis comunicantur motus ad cerebrum, et anima percipit. Instrumenta sentiendo esse hos nervulos pluribus experimentis constat.

¿Quo ponis rationem sufficientem sensionis excitatae in anima? In nervi commotione, quia, hac deficiente, vel vitiata, defficit, vel vitiatur sensio. En quare, licet motus corpori inducatur, non sentiunt paralitici, apoplectici, aliique hujus generis aegri.

¿Quid vocant sensationem, quid sensionem? Sensio est commotio animi a fibrillis nerveis excitata: sensatio est perceptio externorum objectorum commotionem facientium

¿Quid sunt organa sensuum? Nervi, per quos commotiones transmittuntur.

¿Quotuplex organum sensuum? Internum, et externum. Secundum in corporis superficie est. Primum intra corpus ex superficie usque ad cerebrum. Hinc sensus externus dicitur facultas quae ope organorum externorum exercetur: sensus internus facultas, vi cujus ideae ab externo

transmissae intime percipiuntur. Hic sensus intimus, et conscientia solet appelari.

¿Quid est sensorium comune? Illa pars cerebri in qua confluunt omnes fibrae corporum: ibi enim est sensationum omnium centrum

¿Esse potest sensio absque sensatione? Utique: nam aliquando concutiuntur organa, quin animadvertatur. Hoc videas in dormientibus, et in nobis vigilantibus, qui diurno tempore stellas non videmus, licet occulos moveant. Sed non potest esse sensatio absque sensione, vel commotione, saltem praeterita.

¿Quot sunt generales sensationum leges? 1ª Organa et sensorium comune recte et juste disposita et temperata esse debent, ut nec nimium excitentur, nec lente motus transfundant in animam. Primo deffectu laborant histericae foeminae; secundo stupidi.

2ª Organis integris riteque conformatis, et temperatis, congrua, id est, nec major, nec minor justo fiat commotio; alioquin aderunt deffectus prima regula innuti. Sic minima animalcula non videmus: major fragor minorem retundit: os aceto perfusum, aut aloes amaritudine exagitatum sapores non percipit.

3ª Quilibet sensus peculiares organi functiones exercet, et ab impresione in alio facta non commovetur: nec enim gustamus auribus, nec occulis audimus &c.

4ª Organis commotis non possumus sensationes in anima impedire, mitigare, extinguere, permutare. Experientia docet.

5ª Eodem agente, eadem intensitate operan-

te, nunc major, nunc minor sensatio est, tunc in aegris, tunc in sanis pro diversa organorum dispositione, et temperatione. Experientia patet.

¿*Quid ex allatis infertur*? Sequentia: 1. In sensatione quatuor adsunt, agens, organum movens, organi commotio, commotionis transmissio ad cerebrum, animae conscientia id percipiens.

2 Eidem commotioni eadem sensatio respondet, ac inde duo objecta eodem modo existentia pro uno eodemque ab anima accipiuntur.

3 Mobiliora organa facilius excitantur. Hinc redditur ratio aliquarum sensationum delicatisimarum.

4 Ope instrumentorum adjuvantur organa sensuum.

5 Sensus non errant, operantur enim juxta leges Naturae, exhibendo, quae accipiunt; sed sunt occasiones, ut animae erret judicium praecipitans.

¿*Idem est facultas sensitiva ac facultas cognoscitiva*? Credo facultatem cognoscitivam prout ad impressiones in organa factas refertur, aut sui mutationem status respicit, esse ipsam facultatem sentiendi. Sentire ergo est cognoscere sui status mutationem. Ergo facultas sensitiva est ipsa facultas cognoscitiva habens pro objecto mutationes expertas.

CAPUT TERTIUM.

De animae sede.

Ut quae de animae sede dicamus facilius

intelligi valeant, praemitte cerebri descriptionem. Tectum cum cuti, cuticula, adipe, carnosaque panniculo extat cranium veluti ossea capssula, intra quam est glándulosa substantia rotunditatis oblongae speciem refferens. Tegitur meningibus duabus: externa ob majorem duritiem dura mater, secunda mollíor vocatur pia mater. Cerebrum tres partes habet: cerebrum proprie dictum in sincipite collocatum: cerebellum inferius: et medulla oblongata infra cerebellum. Cerebrum habet velut duo hemisphaeria. Duplicatio durae matris separationem hemisphaeriorum facit, quae, quia assimilatur falci, falx et septum lucidum dicitur.

Infra cerebrum est substantia cinerei colorís, vocaturque cinerea, intra quam alia solidior substantia corpus callosum dicta, aut medulla. Ibi est grandulla pinealis vocata.

E cerebro oriuntur decem nervorum paria, et triginta ab spinali medulla. Nervorum munia varia sunt, sed omnes ex cerebro vel mediaté, vel inmediaté nascuntur.

¿Ubi anima suam sedem habet? Peripatetici docent per totum corpus diffundi. Sed falso; nam ¿quare infussa aqua in cerebro in omnibus corporis membris sensationes impediuntur? ¿Quare, ligato stricté membro, in inferiori ejus parte impeditur etiam sensatio? ¿Quomodo concipiam, resciso membro, animam retrocedere? ¿Quomodo coextenditur corpori sine divisibilitate? Durum conceptui est.

Alii crediderunt toto cerebro animam contineri. Sed monstra inventa sunt cum cerebra

destructo: aegrotantes cum parte cerebri exessa aut corrupta. In belluís resecata est cerebri pars, integra vita manente.

Alii ad aliquas cerebri partes confugerunt. Buffonus eam collocat in diaphragmate cerebri vel membrana ipsum involvente. Cartesius in glandula pineali. Peironus in corpore calloso. In cujusque nervi origine Burdenavius. Ast inventi sunt homines, cujus cerebrum his carebat partibus, et anima suis muneribus fungebatur.

Alii credunt animam in cerebro esse sitam, sed incertum esse qua parte. Sedem habere in eo variam dicunt ita, ut in cerebris lessis statio diversa sit. Vel dicunt ita in cerebro esse, ut mobilis semper omnia recurrat nervorum paria, prout necesitas exigat.

¿Quid deducis? Animalia esse non posse viva sine cerebro. Si aliquod brevi tempore recisso cerebro vixit, aliqua pars mansit ad minus medullae oblongatae, aut vita fuit debita insuflationi pulmonum, vel impresio aeris in pulmones organicos motus ad breve tempus producit. Nihil dicas de insectis sine cerebro, quia organica illorum conformatio est ab aliis animalibus plané diversa.

¿Quomodo excitantur sensationes? Alii credunt ab oscillationibus nervorum venire, alii a fluxu fluidi nervei per nervos, alii ab oscilatione hac et hoc fluxu. Certum est spirituum animalium et fluidi nervei secretionem in cerebro effici.

CAPUT QUARTUM.

De imaginandi facultate.

§ I.

De imaginatione.

¿ *Repraesentamus nobis res, quin sint praesentes?* Utique: imaginatione.

¿ *Quid est imaginatio?* Facultas, qua res, quae aliquando sensibus praesentes fuerunt, cognoscimus, vel ideam novam componimus ex iis, quae olim fuerunt praesentes. Ergo imaginatio sensationem antea habitam supponit, vel saltem commotionem aliquam cassualem internorum organorum, ut vi alicujus aegritudinis aliquando accidit. Imaginatio etiam vocatur phantasia, et imagines ab illa exhibitae phantasmata nominantur

¿ *Quid sunt ideae consotiatae vel assotiatae?* Illae, quas occasione aliarum imaginatio repraesentat, vel ob similitudinem, vel ob tempus, quo perceptae antea fuerunt, vel ob unionem, quam antea earum fecimus. Eas excitare, vel consopire valemus, praesertim vididiores alias exitando.

¿ *Quomodo explicas quod phantasiâ productae ideae sint vividiores, aut debiliores, aut promptiores, aut tardiores?* Id provenit ex vi qua primum cognitae fuerunt, vel ab impressione, quam effecerunt,

¿Quid accidit, quando objecta antea cognita phantasia repraesentat? Reproducuntur motiones, quae antea fuerunt cerebro factae. Hac de caussa, cerebro lesso, aut impedito, nobis non possumus eadem objecta antea cognita repraesentare, quia non movetur eodem modo, quo sanum commovebatur.

¿Quid intulis ex supra dictis? Quo vividior fuerit objecti imago primis vicibus repraesentata, vel quo frequentioribus vicibus eam menti recurrere faciamus, eo vividius et facilius phantasia eam postea exhibebit. Praeterea, si vividum phantasma sit, aliqua nobis interna caussa id operante, quam fuit prima sui objecti repraesentatio, praesens illud credemus, et magis nos afficiet, quam primitus. Id videas in pluribus amentibus atque aegris.

¿Quomodo explicatur quod phantasia sensationes ad cerebrum propagatas antea excitet? Sunt qui putent ibi a prima impressione remanere insculpta vestigia, vel, si velis, imagines. Crederem recordationis arcanum pendere á commotione nervulorum diutissimo tempore in parte cerebri, qua fuit facta, durante, quam, quando mens advertit, iterum objecti, quod eam produxit, ideam efformat. Sed potius dicam motum in partes cerebri objectum primó cognitum produxisse, quo cessante, manet dispositio illa, quae ab illo motu inducta fuit, et, eâ visá, ab anima totum cerebrum discurrente, iterum de illo objecto ideam format.

§ II.

De somniis.

¿Quotuplex est motus in machinâ animali? Sunt motus vitales, et motus animales. Primi sunt illi, a quibus vitae functiones dependent, ut motus cordis, pulmonum, &c. Secundi sunt illi, qui sensationes motusque voluntarios comprehendunt. Si primi cessant, mors adest. Si in aliquo remittuntur, adest deliquium. Si cessant animales, adest somnus. Si utrique sint expediti, adest vigilia.

¿Quid ergo est somnus? Status, in quo sensationes conquiescunt, aut remittuntur, et anima earum conscia non est.

¿Quotuplex est somnus? Profundus, et remissus: In primo anima sensationum omnium conscientia destituitur. In secundo anima est in statu quodam medio inter somnum atque vigiliam, et afficitur phantasmatibus occurssantibus.

¿Quid est somnium? Motiones, quae fiunt a praehabitis impresionibus, quae pariunt in anima, quod in vigilia motiones ab objectis externis impresae, sed aliqua defformitate, vel carentia ordinis.

¿Quid ex dictis deducitur? Somnia haberi non posse, si praeteritarum impressionum vestigia in cerebro non maneant. Ergo, quae in somniis accidunt, praeteritarum rerum memoria dici possunt. Temerè aliquando confunduntur

hae imagines, et ideae velut monstra exurgunt, eodem modo ac quandoque accidit in vigilantibus, qui dissimilia valent conjungere, et ob duarum vel trium idearum compossitionem monstra producere.

¿Quotuplex est somnium? Simplex, et compossitum. Si anima ab unica fibra afficiatur, extat somnium simplex: si a plurimis, compossitum. Hoc cerebro producitur ab assotiatione idearum: propterea in somniis unitae illae obversantur, quae in vigilia associatae fuerunt.

¿Quo modo explicas quod phantasmata somnii velut praesentia conspiciantur, licet objecta excitantia non sint praesentia? Hoc consistit in eo, quod cessant internorum sensuum impressiones, caeteraeque functiones, animaque attentiús somnii phantasmata inspicit.

¿Quando cessant somnia? Quando venit somnus profundus, et propterea, humoribus magis consopito cerebro, anima impressiones fibrarum sentire non potest; vel quando vehementioribus sensionibus exagitatur cerebrum, a qua commotione vigilia initium ducit. Hoc accidit post sex aut septem dormiendi horas; tunc enim, succo nerveo insturato, nervorum tensio restituitur, et adest vigilia.

¿Quid concludendum? Subjectum somniorum esse phantasiam, seu cerebri affectiones. Objecta nullibi reperiuntur, cum sint rerum series a concursione imaginum provenientes, quae plerumque monstruosam scenam animo exhibent.

§ III.

De memoria.

¿Quid est memoria? Facultas renovatas sensationes recognoscendi.

¿Quo differt a phantasia, vel imaginatione? In eo, quod phantasia praeteritas sensationes renovat, quin recognoscantur; memoria recognoscit. Memoria imaginationem supponit, quia renovari debent praeteritae sensationes.

¿Quo modo memoriam habemus de rebus, quae phantasia non exhibet, ut sunt abstractae ideae, ratiocinia &c.? Haec intellectualia objecta á sensatione aliqua ducunt originem juxta axima „nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu." Propterea caeso, aut inmutato cerebro, abstractas ideas, et ratiocinia memoria non exhibet.

¿Ergo in memoria dabitur idearum assotiatio, velut in phantasia? Utique, et ab hac assotiatione, et catenatione subsidium memoriae maximé pendet.

¿Quando recognoscimus ideam? Dum seriem notarum, quibus antea consotiata fuit, ac nunc est, animadvertimus. Sic recognosco hominem visum pridem, dum attenté oris notas, staturam, molem &c. intueor, et excitatur aliarum notarum series, quibus consotiata fuit pristina visio, et recordamur etiam domi, fori, vestium, &c. quae simul comitatae sunt notionem illam personae nunc praesentis.

¿Quas res notabiles in memoria advertimus?

Easdem feré ac in imaginatione. 1.° Quo res distinctius saepius ac recentius vidimus, facilius ac promptius et imaginamur, et rocordamur. 2.° Quo promptior imaginatio fuerit, major memoriae facilitas: quo tardior, memoria inconstantior, ac remisior. Ergo perfectiones et vitia phantasiae influunt in perfectiones et vitia memoriae. 3.° Mandare memoriae est adquirere facilitatem renovandi recognoscendique ideas, quae repetitione earumdem idearum adquiritur. Retinet memoria ille, in quo perdurat haec facilitas; obliviscitur ille, in quo cessat. 4.° Memoria adquisita ejusdem impressionis repetitione est velut artificialis facultas exercitio comparata, quae signis, ordine rerum aut verborum juvari potest, quia haec miré phantasiam excitant. 5.° Memoria labimur, cum ideam recurrentem cum alia confundimus, et unam eamdemque esse credimus. Hoc crebró accidit scriptoribus verba citantibus alicujus auctoris, quae in aliis legerunt &c

¿Quomodo explicas memoriae portenta, quae Auctores refferunt? A peculiari cerebri structura, et temperie rara in hominibus provenit.

¿Quo modo intelligis illud proverbium, „memoria excolendo augetur."? Animus iterato exercitio memoriae mandandi habitum contrahit. Si plus justo idearum imaginibus memoriam oneremus, licet facilitas sit promptius recipiendi, minor est facilitas retinendi, quia phantasia memoriae basis, ut limitata, magno commotionum numero impletur, ita ut has ideas adquirat, alias deperdendo.

CAPUT QUINTUM.

De intellectu ejusque operationibus.

§ I.

De facultale intelligendi.

¿*Quid est intellectús?* Mentis facultas, qua cognoscimus percipiendo, aut judicando, aut ratiocinando, aut ordinando.

¿*Omnes modi cognoscendi vocari possunt intellectiones?* Utique, quia sunt actus intellectus. Sed intellectio specialiter sumitur pro illo actu, quo res abstractas et spirituales sine corporeo phantasmate noscimus. Ergo immediaté non venit a sensibus.

¿*Quotuplex intellectio?* Pura, et non pura. 1ª est quando nullum omnino in actu intelligendi phantasma miscetur. 2ª quando miscetur.

¿*Quotuplex est vis intellectús?* Objectiva, quatenus ad plura se extendit. Subjectiva, quatenus ad plures notas rerum cognitarum se extendat. In Deo est utraque infinito gradu.

¿*Qui sunt dotes intellectus?* Profunditas, acumen, soliditas. Ille habet intellectus profunditatem, qui objecta composita, quasi anatomicé ressolvit, et partes videt. Acumen habet ille, qui plura in objecto distinguit, Soliditatem, qui ex cognitis recté deducit, et utitur. Logicam, ethicam, historiam, experimentalem physicam excolens, adquirit soliditatem. Ma-

tesim et analiticas scientias qui persequatur, adquiret profunditatem atque acumen.

¿Quid est ingenium? Acuminis et profunditatis intellectús conjunctio. Alii ingenium esse volunt facilitatem similitudines rerum perspiciendi, et eas convenienter aptandi, et dotem esse Poetarum docent. Sed hanc facultatem ad illud, quod genium dicitur, aptare possumus.

§ II.

De judicio et ratione.

¿Quid est judicium? Cognitio convenientiae vel repugnantiae idearum. Qui facile illam cognoscit, et recte de rebus sententiam fert, bono judicio gaudere dicitur, vel bono sensu, ut alii volunt. Sed ego melius dixerim bonum scusum habere, qui facilitatem habet discernendi ea, quae cadunt sub sensu. Haec facultas maxime pulchrum respicit, et vocatur etiam bonus gustus, qui pendet ab optima sensuum conformatione. Haec aliquis. Sed bonus gustus dicendus est tactus ille intimus, quo pulchra discernimus.

¿Quid est ratio? Animi facultas, quae singulares veritates in universalibus contentas percípit, applicat, ac deducit. Hujus opus est ratiocinium. Differt á judicio in eo, quod est judiciorum series. Qui ergo plures veritates distinctius deducat, majorem rationem habet.

¿Quid est ratio solida, acuta, profunda? Primam, habet qui profundé, secundam qui solidé, tertiam qui acuté excogitat.

¿Quae res vocantur rationi conformes? Quae veritatibus cognitis consentiant. Disformes erunt rationi, quae dissentiant.

Distinguitur ratio ab experientia? Utique: ratio vel universales res distinguit; experientia, quia per sensus comparata, ad singulares ac sub sensus cadentes extenditur.

¿Quotuplex est ratio? Pura, ac impura. 1ª utitur axiomatis, principiis, postulatis, diffinitionibus: 2ª experientiam exhibet. Ex 1ª manant demonstrationes a priori, ex 2ª a posteriori. Credat, qui velit.

¿Quaenam distinguuntur animi qualitates? Sequentes. 1. Est animus rectus seu verus, qui res aestimat juxta genuinum valorem. Animus falsus res cognoscit eo aspectu, qui ipsarum proprius non est, quod plerumque provenit a depravatione cordis vel imaginationis debilitate. 2. Solidus, profundus, acutus, seu argutus animus. Vide, quae diximus loquentes de judicio et de ratione. Solido mobilis opponitur, profundo superficialis, acuto obtusus. 3. Elegans, qui pulchritudinem ubique sectatur, et indicat eum, qui bono gustu gaudet. Huic opponitur inconcinnus, seu inelegans. 4. Jucundus seu laetus, et malignus seu causticus. 1.` Dictis ac factis grato lepóre et suavitate et facilitate procedit. 2.s omnia felle et amaritudine conspergit, et vel optima in pravum sensum detorquet, omnibus omninó incommodus. 5. Praejudicatus, seu praeoccupatus est animus, qui a praeconceptis educatione, lectione, amicitia, opinionibus ducitur. His liberabimur colendo rationem.

6. Fortis. Eum habet ille justus ac tenax propositi vir nunquam commotus, etiam si fractus dilabatur orbis. Spiritus fortes se appellare solent quidam delitiis fracti, qui nec Deum timent, nec poenas in altera vita credunt, eosque debiles appellant, qui, intellectum abnegantes in obsequium Christi, Christianam religionem impensé colunt. ¡Fatui, et impii illi!

¿A quo proveniunt virtutes vel vitia animi vel intellectus? Magna ex parte á nativa cerebri constitutione ac temperie, ut experientia docet.

¿A quo proveniunt animi habitus? A cerebri modificationibus. Dicendum enim de iis est, quod de motibus corporis, qui repetitione actuum facilitatem adipiscuntur faciendi, quae mira videntur, ut observatur in Funanbulis, Musicis &c.

¿A quo provenit mira varietas, quae, sicut in facie hominum, in dotibus animi reperitur? A fibrillarum cerebri temperie. Sunt enim felices quaedam naturae, quaedam aptiora cerebra melioris conformationis, quae illam varietatem producunt, quin, ad eam explicandam, varietatem animorum intrinsecam admittamus.

§ III.

De reflexione atque attentione.

¿Quid est reflexio? Mentis actio, qua, ut distincté percipiamus, res, et notas rei minutatim examinamus, relationesque videmus. Volunt alii reflexionem esse conversionem animi ad co-

gitata sua, quod accidit, quando cognoscimus nos cognoscere.

¿Quid est attentio? Est, quando, ut melius cognoscat anima, se in objecta figit. Ergo reflexio est attentionis initium, et attentio continuata est animi quaedam reflexio.

¿Quae attentioni conciliandae juvant? Plura in Logica dicuntur. Magis attendimus si meditationis objecta sint jucunda, si officia sint placida, si liberé iis vacemus. &c. Hae regulae prossunt. 1ª Liberemus animum ab affectibus. 2ª Attentionis gradus exertitio comparemus. 3ª Longioribus matematicis demonstrationibus assuescamus. 4ª Impedimenta attentionis removeamus. 5ª Ne vacemus pluribus. 6ª Ante studium confabulationibus, novarum rerum nuntiis, negotiis &c. valedicamus 7ª Scribamus nocturna, diurnaque manu, et lecta a nobis referamus in commentaria.

CAPUT SEXTUM.

De commercio animae cum corpore.

¿Quid intelligis per commercium, loquens de anima et corpore? Actionem reciprocam commotionum inter ambas substantias.

¿Extat tale commercium? Experimur animam a concussionibus objectorum externorum in corpus percieri, corpusque quiescens ab internis animae pulsibus agitari.

¿Quomodo explicatur hocce commercium? Tres sunt opiniones: 1ª Leibnitzii 2ª Cartessii, 3ª Aristotelicorum.

§ I.

Leibnitzii Sistema.

¿Quid dicit Leibnitzius? Credit corpus et animam esse velut automata, corpus corporeum, animam spirituale, quorum motus ita harmonicé à principio praestabiliti sunt á creatore, ut omnes corporis et animae motus ab anteriori dependeant, et hi ab aliis ipsis anterioribus. Hi motus ita à creatore sapientissimo sunt praedispositi, ut hic motus corporis huic animae, et hic motus animae huic motui corporis correspondeat. In ipsa hujus sistematis relatione ratio patet, cur sistema harmoniae praestabilita vocetur.

¿Est verum? Non est. 1º Tollitur humana libertas, nam omnes cum animi, tum corporis actiones ab anteriori necessario fluunt. Posita ergo prima actione, caeterae poni debent. Si dixeris libera voluntate fieri hanc seriem, quam Deus praevidit, et decrevit, cum ratio sufficiens praesentis appetitionis in antecedenti contineatur, voluntatis determinatio non est ratio sufficiens praesentis appetitionis.

Insuper, sunt actiones, in quibus nulla est ratio sufficiens in anteriori reperienda, quae consequentem determinari possit, nec ulla connexio ideas antecedentes consequentibus nectit. Sic dum ambulamus, jam sistimus, jam directionem mutamus. Dum legimus lexica, seriem verborum persequentes, ideas inconnexas habe-

mus, quin posterioris perceptionis ratio sufficiens in antecedente contineatur. Lego v. g. adlaboro, adlambo. ¿Quaenam est connexio, ut altera vox alteram mentis faciat obversari ordine, quo conscripta sunt lexico?

Demum, hoc sistemate comercium tollitur, et eodem modo animae et corporis actiones essent, etiam si ad millenas leucas hae substantiae distantes reperirentur.

§ II.

Sistema Cartessii.

Reffer Cartessii sistema, sive occasionalistarum. Cartesius, ejusque discipuli docuerunt nihil corpus in animam, nihil animam agere in corpus; sed Deum occasione motuum animae immediaté in corpore motus producere, et in anima occasione motuum corporis. Hoc sistema, sistema assistentiae, vel causarum occasionalium dicitur.

¿Est verum? Sequentes rationes obstant. Illo vero, nulla ratione animam in nobis esse probabitur, cum nihil operetur, nec faciat, nisi praebere Deo occasionem movendi corpus, qua certé non indiget, Insuper nec libertas in nobis erit, ut patet. 2° Omnes actiones animae et corporis erunt vera miracula, cum naturalium causarum actione non fiant. Nec dicas naturales causas, nempe animam et corpus, occasionem praebere. Sic preces Martae et Magdalenae, quae occasio fuerunt ut Christus Lazarum ex sepul-

ero evocaret, ejus resurrectionem non miraculosam reddidissent.

§ III.

SISTEMA INFLUXUS PHYSICI.

¿Quomodo explicant Scholastici commercium animae et corporis? Docent has substantias, licet dissimiles, mutua efficientia in se agere. Ob hanc actionem mutuam sistema hoc physici influxus vocatur.

¿Deffendi potest? Obscurum quidem est. Etenim nescimus modum, quo spiritualis substantia agat in corpoream, et corporea in spiritualem; sed, eo admisso, phoenomena commercii explicantur. Intelligitur siquidem quomodo corpus animâ instructum vivat, et etiam quomodo mens corpori veré unita dicatur: sentimus etiam pro varia mutatione corporis animam varie affici, ad mentisque nutum motum in membris voluntarium celeritate et constantia consequi. Si ergo per effectus rem aliquam esse scimus, licet ignoremus modum, quo fiat, neganda non est res. Ipsi commercii effectus influxum physicum innuunt. Deffendendus ergo est, licet ignoremus modum, quo hic fiat influxus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE IDEARUM ORIGINE, ET NATURA.

¿Quid sunt ideae, et quomodo explican-

tur? Ad primum responsio ex anteactis, et ex dictis in Logica patet. Ibi inter certa habuimus ideas esse objectorum imagines. Ut secundae interrogationi respondeatur, variae sunt opiniones.

Eas referas. Democritus et Epicurus docuerunt subtilissima simulacra ab objectis in animam evolare, et veluti in ea insculpi, quorum visione perceptionem animae fieri. Peripatetici videntur his Philosophis consentire, dum ad perceptionem requirunt species impressas et expresas. Prima est imago objecti per sensus transmeans, quae eí intime uniatur. Secunda est ipsa imago in anima expresa, tipus ac simulacrum objecti impresionem facientis.

¿Quid de hac sententia dicis? Interrogarem ¿quo modo efformo ideam rerum, quae nunquam fuerunt, nec esse potuerunt? ¿Quomodo locorum et urbium, quae nunquam vidi? ¿Quomodo praesto mihi est imago, quando volo? ¿Quomodo hae imagines vel ad me dormientem veniunt? ¡Vana haec hominum figmenta!

¿Alias opiniones adducas? Cartessiani ideas innatas volunt nostris animis in ejus creatione impressas.

¿Et sunt ideae innatae? Si aliquas nobis ingessiset Deus, eas praecipué, quae ad nostram facerent conservationem. Non ingesisse ex eo probatur, quod infantes, dum experientia non sunt edocti, manus ad ignem applicant, et lapides caeteraque similia in os ingerunt.

Opiniones insequaris. Socrates animas ideis instructas, antequam corporibus unirentur, exti-

tisse affirmabat. Propterea credit hominum animas paulatim evolvere ideas, quas á corpore separatae habuerant.

¿Quid dicis de Socrate? Idem argumentum ei, ac antea cartessianis contra ideas innatas, objicio.

¿Est alia opinio circa originem idearum? Malebranchius statuens in Deo rerum omnium ideas esse repraesentatas, divinamque essentiam per totum esse diffusam, et animam penetrare, dicit ideas nos in Deo mentem irradiante, et per communicationem ostendente, ideas, quas in se habet, velut in speculo videre.

¿Quid de eo sentis? Ineptum esse: 1.° ¿Quare non semper omnia in Deo videmus, et aetate, studio, laboreque indigemus, ut notiones plurimas adquiramus? ¿Cur adquisitae oblitterantur? 2.° Falsa est haec unio animae cum Deo per illam praesentiam, quam vult Malebranchius. Tunc enim ob unitionem intimam cum Deo es, semus Divina composita, et etiam beatifica in hac vita visione frueremur.

¿Cartesius hac super re sentit cum Cartesianis? Minime; credit Cartesius occasione motionum corporis Deum per se ipsum producere ideas in anima, et viceversa. Sed híc omnia objicimus in Cartesium, quae de commercio animae cum corpore loquentes objecimus.

¿Restat alia opinio? Lockius censet animam sensuum adminiculo, meditatione et conjecturâ ideas efformare. Sic concipitur quare, vividioribus sensibus, et vividioribus commotionibus in anima ideae vividiores respondeant: qua-

re frequenti sensuum applicatione idearum tesaurus augeatur: quare ille, qui aliquo sensu careat, non habeat ideas illi respondentes: quare augeantur ideae ope instrumentorum, quae sensus adjuvent: quare rerum non sensibilium reflexione, attentione, comparatione, abstractione ab ideis jam ante habitis ideas efformemus.

¿Quid de hac sententia dicis? Recté phoenomena explicare, sed non intelligi quomodo, motio, fibrillis commotis, in animo redundet, qua idea producatur.

¿Quid ergo hac super re dicendum? Donec claram spiritus ideam non habeamus, nodum non posse dissolvi. Agere animam scio, et corpus agere. ¿Quomodo agit anima? Id nescio, sed scio non esse corpus, et cogitare. ¿Quomodo cogitat? ex ejus operationibus id deduci non potest.

¿Perceptio et ideae sunt res distinctae? En argumentum Genuensis. Anima ideas excipit, quia aliter haberet, quas vellet. Si ideae et perceptiones sunt res eaedem, reciperet perceptiones, et esset passivum subjectum, et non activum, quod absurdum, quia anima agit, et cogitando agit.

CAPUT OCTAVUM.

§ I.

De humana voluntate ejusque proprietatibus.

¿Quid est voluntas? Facultas animae, qua inclinatur ad objectum aliquod, vel aversatur.

¿Extat in nobis voluntas? Intima conscientia

persuassi sumus animum nostrum inclinari ad objecta, vel ab objectis se avertere.

¿Ad quid inclinatur voluntas? Ad bonum.

¿A quo se avertit? A malo.

¿Quid est bonum, quid est malum? Bonum est, quod naturam nostram perficit; malum, quod ipsi adversatur.

¿Quotuplex est bonum, quotuplex est malum? Absolutum et relativum. Bonum absolutum est illud, quod in se perfectiones habet: relativum, quod respectu ad nos, id est, quod finibus nostris aliquo modo conducit. Malum absolutum nullum est, cum omne ens sit metaphysice bonum. Malum relativum illud est, quod finibus nostris opponitur.

¿Quotuplex est itidem bonum et malum? Verum et apparens. Verum bonum est, quod re vera nos perficit. Verum malum est, quod re vera nobis adversatur. Bonum apparens, et malum apparens sunt bona et mala, quae talia non sunt, sed talia á nobis existimantur.

¿Quodnam est praecipuum voluntatis objectum? Bonum et malum relativum, quia ea voluntas directé respicit.

¿Quid sentimus ad praesentiam boni et mali? Bono percepto, anima sensu quodam afficitur, qui voluptas dicitur: malo percepto, sensu, qui vocatur tedium.

¿Quotuplex est voluptas et tedium vel dolor? Sensualis et intellectualis. Sensualis est, si á sensibus vel phantasia commotis oriatur. Intellectualis seu mentalis ab intellectu puro exoritur. Visa aurora, sensualem voluptatem habeo. Veritatem

utilem ratiocinio deductam intuens, mentalem voluptatem habebo. Visa fera me persequente, tedium sensuale habeo: visa veritate eventûs, ex quo ratiocinio duco in deteriorem partem posse decidere, tedium mentale habeo.

¿Quid comitatur voluptatem aut dolorem sensualem? Voluptatem nervorum blanda commotio, quae titilatio dicitur: Tedium tensio et concusio nervulorum, quae dicitur dolor.

¿Quinam est status indifferentiae? Ille, in quo nec titilationem, nec dolorem sentimus

¿A quo provenit? Ex eo, quod objectum praesens menti nec ut bonum, nec ut malum percipiatur.

¿Quaenam sunt voluptatis et tedii effectus? Appetitio et aversatio. Prima exercetur in objecta, quae voluptate nobis donantur. Secunda in objecta, quae molestiam pariunt.

¿Quotuplex est appetitio et aversatio? Pront fuerint voluptates et dolores sensuales vel mentales,

¿In quo item discrepant appetitiones et aversationes sensitivae á rationalibus? In primis res singulares sensibus, aut imaginatione, perceptae sunt objecta: in secundis bonum ab intellectu propositum, quo sequendo, vel fugiendo, ratione ferimur.

¿Sub qua ratione animus objecta prosequitur vel aversatur? Sub ratione boni prosequitur, sub ratione mali aversatur, et nunquam sequitur aliquod sub ratione mali, vel aversatur aliquod sub ratione boni, idque pondere innato. Id probatur ex eo, quod aut anima ab objectis cogni-

tis afficitur, aut non. Si primum, est in statu indifferentiae et nec inclinatur, nec declinat. Si secundum, aut voluptate afficitur, aut tedio. Voluptas animae est conveniens, et finibus suis convenit, et ad illud innato pondere tendit. Tedium vice versa Primum est bonum, secundum malum. Ergo si anima sequeretur malum sub ratione mali, sequeretur quod non est finibus suis conveniens. Si bonum sub ratione boni fugeret, fugeret quod ipsi suis finibus conveniebat. Hoc dici non potest, et perpetua experientia reclamaret, si illud affirmare vallemus. Ergo voluptas sequitur bonum sub ratione boni, et fugit malum sub ratione mali, et illud pondere innato. Si bonum aliquando fugimus, et malum sequimur, est quia decepti bonum malum credimus, et malum bonum.

¿Quid ex allatis deducis? Magis voluntatem inclinari ad objectum, quod magis bonum appareat: magis fugere malum, quod malum majus appareat. Aliquando in objectis videmus perfectiones cum imperfectionibus confligere, et sumus ancipites respectu bonitatis, vel non bonitatis rei. In eam partem tunc propendimus, pro qua vivacitas et distinctio notarum major evadat.

¿Dices animum esse veluti bilancem á ponderibus voluptatis aut molestiae tractam ita, ut pars, quae praevaluerit, voluntatem necessario trahat? Minime: quia quacumque bonitate repraesentata, in hominis potestate esset mentem alii abstraere, et imperfectiones in re cognita ut bona sibi repraesentare ita, ut exortam appetitionem sedare possit, aut in aversionem convertere. Sed de his ubi de libertate tractabimus.

§ II.

De affectibus et habitibus animae.

¿Quid sunt affectus? Commotiones excitatae in appetitu sensitivo á confusa, sed vivida, objectorum repraesentatione, cum quadam sanguinis ac fluidi animalis commotione. Hoc etiam vocant pertubationes, et passiones. In omni affectu voluptas excitatur, aut tedium. Si ratione dirigantur, ratiocinales affectus vocantur. Si, adversa ratione, vehementius concitentur, vocabuntur non ratiocinales.

¿Quotuplex est affectus? Primitivus et derivativus. Primus ille est, qui sit reliquorum origo: secundus, qui á primitivis nascatur.

¿Quot sunt affectus primitivi? Gaudium et tristitia, quia concipimus gaudium immediaté consequi voluptatem, tristitiam consequi dolorem et tedium: et quia in omnibus affectibus placidis gaudium est, et sunt velut modi diversi gaudii: in affectibus incommodis semper est tristitia ita, ut sint velut tristitiae modi. Ergo affectus grati ad gaudium pertinent, molesti ad tedium.

¿Qui sunt affectus grati? 1.º Amor, qui est gaudium de alterius perfectione, quae, á nobis percepta, voluptatem parit, 2.º Laetitia, sive hilaritas, quae est gaudium é mali cessatione. 3.º Spes, quae est gaudium de bono futuro, quod non certó scimus nobis obventurum. 4.º Fiducia, quae est gaudium de bono nobis certé venturo. 5.º Animositas, quae est fiducia boni cum

difficultate obttinendi. 6.s Acquiescentia, et est gaudium de bono á nobis perpetrato. 7.s Gloria, aut gaudium ob bonum á nobis perpetratum, quod ab aliorum aestimatione oritur. 8.s Cupiditas, et est conatus boni obtinendi gaudio affectus.

¿Qui affectus sub tristitia continentur? 1. Desiderium, quod est tristitia nascens ex retardatione boni obtinendi. 2. Pusilanimitas sive tristitia ex difficultate boni obtinendi. 3. Metus, sive tristitia ex impendente malo. 4. Timor, aut tristitia ex malo apropinquante. 5. Horror, sive tristitia ex malo praesenti. 7. Terror, sive tristitia ex malo improviso. 8. Desperatio, sive tristitia ex malo intolerando, quod vitari non potet. 9. Poenitentia sive tristitia ex malé gestis. 10. Pudor sive tristitia ex sinistro aliorum de nobis judicio. 11. Ira, sive tristitia ex injuria nostra vel aliena, si aliquo modo nos afficiat. 10. Odium sive tristitia inveterata de injuria propria vel aliena nos afficiente 13. Commiseratio, sive tristitia ex infelicitate alterius. 14. Invidentia, sive tristitia de aliena felicitate. 15. Luctus, sive tristitia ex funere charorum, sive aliis similibus. 16. Cupiditas, sive tristitia ex conatu mali vitandi, vel boni obtinendi, si anxietatem pariat.

¿Quid est habitus? Est promptitudo et facilitas quaedam diuturna exercitatione comparata.

¿Quotuplex est habitus? Corporis, et animae. Primus est facilitas in membris, qualis in artificibus mechanicis. Secundus est facilitas animae, ut facilitas disserendi, demostrandi, et excitandi affectus gratos vel ingratos.

¿Omnes habitus, vel corporei, afficiunt ani-

mam? Utique, quia est commercium animae cum corpore.

¿A quo proveniunt habitus animae? Habitus sunt vel intellectûs vel voluntatis. Primi proveniunt á memoria exercitatione prompta, quia scientiarum habitus non adquirimus nisi longa memoriae exercitatione, quae in fibris cerebri facilitatem inducat, ut pro nutu ideae ordine repraesententur. Voluntatis habitus etiam á memoria exercitata veniunt, quia constat affectus actuum iteratione invalescere: cumque affectus á boni vel mali cognitione dependeant, debent objecta ab imaginatione et memoria menti repraesentari, ut iterenttur affectus.

¿Vitia et virtutes sunt animae habitus? Cum vitium, et virtus sint boni vel mali faciendi facilitas, deducitur ab iteratione actuum vel bonorum, vel malorum venire, ac inde esse habitus.

§ III.

De humana libertate.

¿Est in nobis libertas? Illam ita sentimus, ut probatione non indigeat. Attamen, ut mori recepto terga non demus, illam comprobare conabimur.

¿Quotuplex est necessitas? Interna et externa. Externa, quae vocatur coactio, est, quae ab externo homini inducitur: ut cum v. g. robustior debiliorem impellit: tunc enim impulsus homo necessario movetur. Interna est vis quaedam insuperabilis, quae voluntatem ad unum determi-

naté trahit, quin aliud suapte possit eligere. Talis est inclinatio hominis ad bonum in genere.

¿Quotuplex est libertas? Duplex: a coactione et a necessitate. Prima est, quae excludit necessitatem internam, sive est facultas animae expedita ad quodvis particulare bonum amplectendum, vel rejiciendum, sive agendi, aut non agendi, nullo interno principio determinante, sed suapte animam agente.

¿Quid est actus spontaneus vel voluntarius? Ille, quo, licet interné determinemur, ab externo non cogimur. Sic bonum in genere amamus spontaneé, quia nulla est coactio externa, licet sit interna necessitas Ergo libertas á coactione cum necessitate interna conjungi potest.

¿Quo alio nomine libertas á necessitate vocari potest? Nomine libertatis indifferentiae.

¿Quotuplex est libertas indifferentia? Contradictionis, et exercitii, vel contrarietatis seu specificationis. Prima est ad actus ponendos, vel omittendos. Secunda est ad actus contrarios aut diversos exercendos v. g. ad hoc vel illud faciendum.

¿Possunt simul concurrere et simul dissociari species libertatis antea explicatae? Possunt. Sic liber sum ad scribendum, vel non scribendum ita, ut possim hoc vel aliud pro libitu exarare, et caetera. Hic concurrunt. Liber sum ad scribendum in hoc vel alio loco, sed non ad scribendum omni instrumento destitutus.

¿Quid requiritur ut consistat libertas indifferentiae? Iudicium indifferens intellectûs. Nam aut in voluntate, aut in intellectu debet esse

indifferentia. Sed voluntas est potentia coeca, quae innato pondere fertur. Ergo debet esse in intellectu. Ut sit, requiritur, quod extrema, inter quae electio versatur, indifferenter proponantur velut amplectenda aut velut rejicienda, et motiva indifferenter examinentur. Hoc autem est judicium indifferens.

¿Libertas supponit rationem? Supponit et necessarió; nam supponit judicium indifferens, ut dictum est. Judicium autem est actus intellectus, ac inde rationis.

¿Quid amplius requiritur ad libertatem indifferentia? Facultas proxima et expedita ab omnibus impedimentis, quae exercitio agendi sint obstacula; quia chimerica est facultas, quae exerceri non potest. Ast libertas non exerceretur, si essent allata impedimenta.

¿Quando facultas espedita censebitur? Quando, et si adsint impedimenta, illa removeri possint, ut patet.

¿Voluntas humana est libera á coactione? Est, et ita est, ut illud probare idem esset ac arare aquam.

¿Est possibile, quod voluntas patiatur coactionem? Impossibile. Qui naturam animae noscat, pariter noscet actum elicere non posse, nisi determinetur; determinari autem nequit nisi á se ipsa. Haec determinatio est actus substantiae spiritualis, sive ipsius modificatio. Determinatur igitur volens, aut nollens, ut actus eliciat, vel omittat, quia nihil exterius animam potest vi modificare.

¿Quid sunt actus eliciti quid imperati? Primi sunt volitiones et nolitiones intimae: secun-

di sunt illi, quorum executio ad voluntatis imperium ponitur ab alia facultate, sive corporis, sive animae: v. g. imaginationis excitatio, deambulatio. In iis potest esse coactio, quia pendent ab exteriori. Sic cogitur qui ab alio propellente ad motum concitatur.

¿Homo habet libertatem indifferentiae, ita ut humana voluntas nulla interna necessitate adigatur ad actus? Id invictissime demonstratur. Causae necessariae totis suis viribus agunt. Sed intima conscientia experimur hominem posse parte tantum virium agere. Sic, cum digito corpus premo, nunc majori, nunc minori vi premo, et vel tota vi, quando volo; et nemo dicet me non potuisse á principio totis viribus premere. Praeterea, est bonum et malum morale. Ergo est libertas in actionibus omnium hominum, nam nihil honestum aut pravum reputant homines, nisi in manu perpetrantis sit illud facere vel omittere. Propterea reum nullus existimat actionis pravae illum, qui dormiens, febricitans, amens actionem facit. Propterea etiam apud nullas gentes punitur ille, qui ostendit, dum malé fecit, se aliter agere non potuisse. Insuper, et Deus et homines essent et crudelissimi, et iniqui, homines male facientes puniendo, supliciisque prosequendo, si non essent liberi: Innocens enim esset ille, qui necessitate naturae, sive non libere operaretur. ¿Quis hominem praecipit ingenio abundare v. g. et punit illum si non obediat? ¿Et praeciperetur homini esse bonum, et puniretur, dum bonus non esset, si non esset liber? Demum, te poenitet, si

hominem occidisti, vel jurastis, vel moechatus es. Sed non poenitet si est plebejus, vel modica fortuna natus.

¿Quo consistit dissimilitudo? In eo, quod in illis liber, in his non liber es. Idem argumentum potest etiam de bonis actionibus efformari. Homo ergo liber est libertate indifferentiae.

CAPUT NONUM

De mentis humanae natura et origine.

§ I.

An humanus animus sit incorporeus.

¿Humana anima est spiritualis? En dissidium, potius quam judiciorum, voluntatum: nam qui renuunt, fortasse renuunt, quia cuperent corpus vel materiam esse animam (sed conscientia reluctante) ut absque poenarum timore libertati relaxarent habenas. Ut solvatur, non obliviscendum materiam, aut corpus, esse substantiam extensam, compossitam, divissibilem, solidam, inertem, figurabilem; spiritus autem non habere has proprietates, et donatos esse intelligendi facultate, ac voluntate.

¿Materia cogitare potest? Non potest. Nam cogitatio inextensa, simplex, et actuosa pugnat cum extensione, divisibilitate et inertia materiae. ¿Quid? ¿Erit cogitatio extensa et divisibilis? Non explicaretur perceptio: nam, vel quaelibet pars totum objectum percipit, vel singulae singu-

las objecti partes. Si primum, infinitae erunt, non una eademque perceptio: si secundum, cum partes distinctae sint, pars, quae percipit unum extremum, alterum non percipit. Ergo vel plura objecta simul, vel non totum objectum perciperemus, quod falsum. Praeterea, si materia cogitare posset, cogitatio esset intrinseca materiae modificatio, et tunc in tot partes cogitatio potest discerpi, in quas materia cogitans dividi posset. Ergo divideretur cogitatio in medietates, in quartas, in octavas partes &c. Absurda.

Adde quod, cogitante materia, aut cogitatio motus materiae esset ab objectis externis impressus, aut materiae configuratio. Quidquid dicas, cum materia iners sit, et motum, et configurationem impresam retineret donec ab externo agente mutarentur, quod efficeret, ut in eadem cogitatione absque libertate permaneremus, donec ab extrinseco mutaremur.

His accedit quod, si cogitatio in motu materiae consistit, aut ipsa anima materialis in se hunc motum produxit, aut ab objectis externis fuit productus. Si primum, jam materia non iners esset, quia sibi mutationem inducit. Si secundum, ¿quomodo explicas rerum praeteritarum memoriae excitationes, idearum comparationes, deductiones, rerum abstractarum perceptiones, quibus novas notiones anima sibi parat? Denique, si motus, in quo cogitationem consistere volunt, ab externo excitatur, anima erit subjectum passivum. ¿Quis credat?

¿Sensibilitas materiae inesse potest? Minime. Sensibilitas in materia non potest con[illegible]

Nam tunc sentire in motu et configuratione consisteret, et difficultatibus antea exaratis, dum de cogitatione verba fecimus, implicaris. Deinde, hac hypothesi, sensatio in singulis moleculis, aut in una tantum, aut in omnibus esset. Si primum, homo non erit individuum unum, sed tot erunt in ipso individua, quot sentientes moleculae. Si secundum, molecula sentiens erit specie ab aliis diversa, et materia non erit. Si tertium, ex communi omnium sensatione una integra sensatio resultat, et recurrunt anteriores circa cogitationem difficultates.

¿*Materia libertatem habere potest?* Nullo modo: materia enim non potest motum in se producere, augere, minuere, sistereque pro libitu &c.: ens etenim est iners, quia non movetur nisi impulsiones accipiat, nec motum temperat, nec extinguit, et operatur juxta necessarias leges.

¿*Anima humana simplex et individua est?* Illa, ut confecimus, cogitat, et est sensibilis, et propterea materia non est, quae nec sentire, nec cogitare potest. Ergo est simplex, et individua. Addas, quod sentimus, cognoscimus, recordamur, volumus &c. Si anima non simplex esset, essetque dividua, pars, quae sentiret, conscia non esset cognitionis alterius partis, et quae meminisset non sentiret voluntates alterius. Dices sibi invicem mutuas operationes communicare. Difficilius haec communicatio intelligitur, quam quod in indivissibili substantia et simplici illae omnes operationes fierent. ¿Et quomodo judicium explicas, in quo, ut videatur duarum idearum con-

venientia, necesse est ut in una eademque simplici parte ideae comparatae reperiantur?

¿Anima humana dicenda est incorporea? Dicenda. Materiam cogitare non posse, nec sentire vidimus. Scimus animam cogitare et sentire. Scimus ergo non esse corpus, sive materiam. Praeterea est indivisibilis. Ergo incorporea.

¿Anima humana est etiam spiritualis? Est; quia substantia, aut est corporea et materialis, aut incorporea et spiritualis. Confectum fuit non esse materiam. Ergo est incorporea vel immaterialis, et spiritualis. Incorporea tantum esse non potest, quia libertate, et ratione gaudet. Ergo spiritualis. Dices libertatem habere posse res, quae tantûm sint incorporeae. Incorporea nota toto suo conatu agunt. Id videas in viribus inertia, impenetrabilitate, attractione &c.

Adde his, quod qui dicit incorporeum, dicit rem, quae non habeat qualitates corporis: hoc est, dicit aliquid negativum; sed qualitates positivas non dicit. Dicit quid non sit, non quid sit. Et tunc, rogo ¿quid est, cum aliquid esse debeat, hoc, quod non est corpus? Ego dicam substantiam esse compotem rationis et liberam, id est, spiritum, quia haec idea est, quam de spiritibus efformamus.

§ II.

De animorum immortalitate.

¿Quid est incorruptibilitas? Illud ens dicitur incorruptibile, quod caret vitalibus functio-

nibus, sed á nullo agente destrui potest.

¿*Quid est immortalitas?* Illud ens dicitur immortale, quod functionibus vitalibus gaudet, et in iis perpetuo durat.

¿*Quotuplex est immortalitas?* Essentialis et naturalis. Essentialis reperitur tantummodo in illo ente, quod in essentia habet rationem sufficientem existentiae. Habet immortalitatem naturalem ens, quod habet actuum vitalium durationem perpetuam.

¿*Mens humana ita á Deo est condita, ut naturalium causarum viribus nunquam destrui possit?* Utique, mens humana est incorporea et simplex. Ergo nec corrumpi, nec anihilari potest ab agente creato. Non primum, quia corruptio includit separationem ac dissolutionem partium, quas, utpote simplex, non habet anima. Non secundum, quia substantiae simplices anihilatione tantum perire possunt: nullum autem creatum agens vires habet ad anihilandum. Ergo anima humana est incorruptibilis.

¿*Et est immortalis ita, ut nullum agens creatum animae functiones vitales extinguere valeat?* Ita quidem. Agens creatum vel impediret vitales actiones hominis, nempe cognitiones et appetiones, substrahendo objeta talium actuum, impediendo facultates, aut eas destruendo. Nihil horum potest agens creatum. Non primum: nam, etsi posset alia objecta removere, animus se deserere non potest, nec desinere suos actus cognoscere. In his actibus á vi creata impediri non potest, quin destruatur ejus substantia, quia sunt ejus substantiales essentialesque facultates. Ergo nec se-

cundum nec tertium ex allatis extremis vis creata facere potest.

¿*Destruet Deus humanam animam?* Non esse destructurum ex ejus voluntate, Scripturis sanctis expressa constat; sed agamus Philosophum. Probatur primo. Dum vivimus, appetimus animae statum permanenten, aversamur nostram reductionem in nihilum, nostri memoriam permanere post mortem cupimus, in aerumnis vitae hujus interna quadam monitione erigimur, ut meliorem statum speremus. Haec autem desideria, hic intimus sensus á Deo sunt data: aliter enim ¿existerent in omnibus omninó hominibus, qui aliis omnibus rebus opinionibus variant? ¿Et dedisset Deus desideria non adimplenda? ¿Quis id credat de Dei maxima bonitate? Praeterea omnium Nationum consensus unanimis animam probat post corpus vivere. Si id non crederent, vani fuissent funerei ritus. Nec honore mortuos vivi prosequerentur, si ipsis non fuisset fixum perpetuo vigere post mortem animum, hominemque totum penitús non evanescere. Nec huic animae vitae impedimentum est ipsius natura, quae sejuncta á corpore vivere nequiret. ¿Indigebit anima corpore? ¿Anima, quae, quo magis abstrahit ab impressionibus sensuum, puriores cognitiones habet, intellectionesque limpidiores? ¿Non habemus evidentiam majorem in matematicis, quam in physicis?

Addas, quod mali nonnunquam in hac vita prosperitate gaudent, nullaque condigna poena mulctatos decedunt: justi contra, dura patiuntur, á malis deridentur, nullaque condigna remuner

ratione percepta, supremum obeunt diem. Ergo, si Deus est justus, alia est vita animae, qua mali poenas subeant, boni proemia nanciscantur. Nec dicas vitam quidem post hominis mortem animas esse habituras temporariam, qua poenis subjiciantur. ¿Et pro culpa infinita, quia infinitus est Deus offensus et conculcatus, temporaria, id est finita, poena sufficiet? Duratione sit infinita, cum pro animae limitatione entitate infinita esse non possit. Quoad proemia: non essent munificentissimo Deo digna, si temporaria darentur velut mercimonium pro ratione dati et acepti.

Denique, cura futurorum adventurorum post mortem, quae in omnibus est velut instinctus naturae, probat genus omne humanum credere aliquid hominis post mortem manere. Procreatio liberorum, propagatio nominis, adoptiones filiorum, diligentia testamentoruum, mausolea, elogia funebria, caeteraque hujus generis illam curam, quam dicebamus, demonstrant.

§ III.

De origine humanae animae.

¿Quinam est humanae mentis origo? Lapsam de coelo Pytagoras, Platonicique docuerunt. Partem propriae substantiae Dei Stoici, Manichaei, Prisciliani que suspicantur. Conditas animas olim fuisse, in thesauroque Dei existere, ut nascentibus hominibus destinarentur, Eccleciastici quidam confidunt. Alii plurimi tradunt quotidie á Deo fieri animas, ut infundantur in corporibus, quae for-

mantur. Tertulianus et Apolinaris ex traduce fieri animam ex anima, quomodo ex corpore corpus, docent. Pitagorae discipuli transmigrationem animarum ex homine in homines, et ex hominibus in bruta somniarunt. Leibnitzius, Wolfius, atque Bonnetus dicunt animas ab initio Mundi in semine primordiali corporis humani involutas, quae deinde peculiaris seminis evolutione conceptionis tempore explicantur.

¿Quid immoremur in his opinionibus rejiciendis, quae, aut absurdae sunt palam, et materialem animam faciunt, aut Deum corporeum? Una tantum restat, et illa est, qua animas dicitur eo tempore á Deo creari, quo conformatur in conceptione corpus, materiaque in materno utero est disposita, ut anima vitales functiones exercere incipiat. Hoc probatur ex eo, quod anima simplex creatione tantum effici valeat. Praesistentia autem nullo fundamento innititur. Ergo in conceptione hominis á Deo creatur. Quo momento, dissentiunt Physici, et nihil certe statui potest.

¿Sunt omnes animae aequales? Nescio. Tantum scio diversitatem spiritualium facultatum ab organorum corporeorum dispositione, et temperie venire posse. Infans multum distat á puero, puer ab adolescente, adolescens á viro, vir á sene, sanus homo a se aegroto, amente vel delirante febri, incultus homo á se ipso polito. Has autem omnes varietates corporis structura et circunstantiae producunt

¿Humana mens cogitat semper, ita ut actus vitales continua serie conservet? Id Cartessius cum plurimis docuit; sed difficulter suadetur. Non

credam foetum in utero matris; dormientes, apoplecticos, aut aliis morbis sensu privatos peremni cogitatione agitari; sed credam animam in statu activitatis positam ita continenti cogitatione versari, ut non valeamus pro arbitrio ejus energiam suspendere, ita ut queat omni cogitatione privari.

CAPUT DECIMUM ET ULTIMUM.

De anima brutorum.

¿*Bruta habent animam?* Nullus negare debet, sed est dissentio in ejus natura assignanda. Plurimi ex recentioribus spiritualem esse dicunt praeunte quodam Ecclesiae Patre, qui scribit *quatuor spirituum genera sunt, pecoris, nostrùm, Angeli et Dei.* Alii credunt esse incorpoream. Alii, ut Peripatetici, esse materialem. Gomezius, Hispanus, et post eum Cartesius, credit bruta esse automata naturalia machinis artificialibus similia, quae nullo principio interno agente, sed vi externorum objectorum organa concutiente, brutorum operationes prestant.

¿*Quid dicis de his opinionibus?* Peripatetici aut nihil dicunt, aut cum Cartessio sentiunt. Spiritum non esse volunt, nec materiam, quia hanc vocem reformidant. Incorporeas non fatentur. ¿Quid ergo dicunt? Praeterea, quaerenti quid sit, adjectivo respondent, nempe materiales sunt. Adjectiva autem non subjectum, sed qualitatem indicant. Respondent illi ergo quid habeat illa anima, quid sit, non dicunt. Ergo, si aliquid dicunt, indicant qualitatem vel modificationem materiae,

quae, receptis impressionibus, materia possit juxta ipsas moveri. Hoc ipsum ipsum est, quod dicit Cartessius.

¿Quid de Cartessio dicis? Bruta non esse automata interno agendi principio destituta Si enim in illis omnes motus mechanici sunt, uti in horologio, magnete &c. Constantes debent esse effectus. Ast hoc non accidit. Sit exemplum: equus velociter currens, fovea latissima conspecta, cursum aut sistit aut flectit. Si equus automa ab heminibus factus hunc cursum unitatur, sisteret, aut flecteret cursum, cum ad foveam deveniat. Non facit. Ergo hujus automatis, ac bruti diversissima est constitutio. Dices effluvia voraginis in organa bruti agentia, hanc cursus variationem producere. Impossibiliter. Nam effluvia aut vi minori ea, quam equus fert, erumpunt, aut majori aut aequali. Si aequali, equus sistet. Si majori equus retroferetur. Si minori, equus prosequetur cursum. Ergo unquam deflectit á via. Haec sunt motus mechanicae leges. Praeterea, si obscura nocte equus feratur, in foveam cadet ¿Quid? ¿Effluvia nocte non operantur?

Addas, quod interna brutorum machina inspecta, organa et organorum conformationes nostris similimae conspiciuntur in his, quae motus peragunt vitales et agunt iisdem legibus, quas in nostris externis sensibus, quotidie conspicimus. Ergo aut argumentum analogiae valedicendum erit, aut bruta, ut nos habent internum principium allatarum operationum.

Insuper: cani recumbenti fictum panem ostendas. Ad illum venit, fictionem sentit, et re-

cumbit. Secundo, et fortasse tertio veniet. Sed postea fallere non patietur, et perpetuo sistet. Impressio eadem est ¿Quare non idem effectus? Ad effluvia recurres, sed effluvia magis excitare debent, quo plus temporis in conspectu canis sistant, ipsique obversentur. Automa ergo non est.

¿Quid de aliis opinionibus dicis? Ut judicium feramus, varia praemittenda sunt. *Praemittas primum.* Bestiae sentiendi facultate pollent. Omnes quippe machinae animalis motiones, quae in nobis á facultate sensitiva p·aeveniunt observamus in brutis. Si ergo effectuum ejusdem generis eaedem sunt causae Bruta sentiunt. Secundum: Bruta cognoscendi facultate gaudent, quod eodem argumento firmatur, quo facultatem sentiendi brutis tribuimus. Tertium: bruta habent facultatem imaginandi; nam praeteritas sensationes renovant, ut videtur in eo, quod canes, dominum agnoscunt, quod fustem ostensum fugiunt, quod quaerunt ferarum latibula, quod fame exitante repositas escas revisunt, quod somniis agitantur. Unde deducitur memoriam habere, quia consequitur cognitiones, et imaginationes, quas habent. Propterea cubilia, nidosque repetunt, et alia, quibus assuescunt. Ast assuescere, nisi per memoriam non valerent.

Quartum: bruta habebunt appetitum sensitivum; habent siquidem conatus ad naturales pastus capessendos, et ad loctifera à salutaribus secérnenda. Habent etiam suo modo effectus: nam ira ardere, vindicttam appetere, viso objecto grato gestire, amore prolis teneri, blanditiis mulceri; et caetera, vidimus. Habent insuper sponta-

neos motus, quia pro horum varietate videmus, motus excitare, intendere, temperare, extinguere.

Quintum: bruta sensibiles tantum res cognoscunt, et ea ex iis nata, quae ad animalis vitae utilitatem pertinent, in sensibilibus objectis contenta. Propterea nec idioma verborum habent, quod universalissimas ideas supponit; nec habent Dei, justi, virtutis, vitiique notiones.

Sextum: bruta habent libertatem, sed tantum erga res eas, quae ejusdem generis sunt, ac suae cognitiones, de quibus antea. Nam respectu horum objectorum, eosdem in brutis videmus effectus, ac in hominibus observantur. Si ergo effectus ejusdem generis eaedem sunt causae, in brutis adest haec, licet erga rudia libertas. Nec dicas regulam hanc Newtonianuum habere additamentum, nempe nisi ratio sit, quae diversas causas exposcat. Hic nulla ratio. Si enim aliqua esset in animae brutorum natura reperiretur. Non reperitur, quia eadem natura requiritur ad hanc exiguissimam libertatem, ac ad cognitiones. Sed bruta cognoscunt ex antea dictis.

¿Quaenam ergo est animae brutorum natura? Dum modo non sit materia, quia materia non potest cognoscere, eam dic incorpoream, si credis esse medium inter corpus et materiam. Si medium non credis, illam voca spiritualem; sed ordinis valdé admodum inferioris cum humana anima comparata. Sed animadvertas nihil nos cognoscere, quod dicatur incorporeum, nisi vires corporum. Hae autem ita constanter operantur, ut similibus viribus videtur explicari non posse brutorum actiones tam varias. Qui accu-

fate Peripateticorum sententiam examinarunt, credunt eos vires vocasse brutorum animas, et tamen á feré omnibus Phylosophis impugnantur. Eodem modo ac Cartessius. Animadverte etiam *incorporeum* hanc vocem, non exprimere substantiam, sed qualitatem substantiae, ac inde non exprimere quid sint brutorum animae, sed quid habent: exprimere etiam esse rem, quae non est corpus. Si nolis esse spiritum. ¿Quid est? Medium aliquod inter corpus et spiritum dices. Sed cum hoc medium in Mundo ejusque rebus non cognoscatur, ¿Non dicent Phylosophi esse phantasma, quo se expediant hujus sententiae Patroni á difficultatibus, quae circa quaestionem de brutorum anima recurrunt?

¿Non Dici potest spiritualis brutorum anima? Qui in aliquibus brutorum actionibus quarum, sunt infinita exempla, ratiocinium videat, licet de rebus rudibus, quas antea diximus: qui intellectum deffiniat facultatem percipiendi, judicandi, ratiocinandi, et ordinandi, ac propterea dicat bruta intellectum habere, quia saltem percipiunt: qui hunc intellectum videat Scripturis sacris bestiis tributum, quia tribuunt gallo intelligentiam: qui sciat aliquas abstractas ideas habere bruta, quia recensent dierum numerum, et horarum, ut ex variis exemplis probari potest: qui animadvertat eos, qui intellectum illi negant, sibi contradici, quia fatentur bruta percipere, et fatentur etiam perceptionem esse intellectus actionem: ¿Cujus enim facultatis ex tribus, quae sunt esse actus? ¿Voluntatis, an memoriae? Qui demum credat cognitiones bruto-

rum aliquas notas in objectis distinguere, cum quia aliter non recordarentur, posito quod recordatió á notis succesivé cognitis venit, tum quia aliter inter objecta ac objecta non distinguerent, ac inde canis non distingueret herum ab alio homine, qui haec omnia videat et cognoscat non posse nisi anima spirituali posita explicari, spiritualem eam fatebitur.

¿Et non erit inconveniens aliquod in eo, quod anima brutorum dicatur spiritualis? Est opinio Catholicis plurimis Auctoribus lata, et ab Ecclesia nulla nota inusta. Memento Ecclesiae Patris, qui spiritualem animam pecorum dixit. Et memento me dixisse esse spiritualem, sed ordinis valdé admodum inferioris, si cum anima hominis comparetur. Memento denique pro coronide Rorarium scripsise librum, cui titulus de brutis ratione melius utentibus, quam utantur homines. Ille ratio tantum extendit ad ruda sensibiliaque objectá, quomodo nos antea diximus; et nullae Ecclesiae animadversione fuit prosequutus. Hispalense Inquisitionis tribunal, cui hoc opus delatum est, illud serió ad examen vocavit. Sapientum judicio submissit, liberumque lectioni cuilibet nostrum reliquit. Altierius, qui spiritualem brutorum deffendit animam, Catolicorum Hispanorum Regum decreto aulis Phylosophiae per annos plurimos fuit designatus. Sed de his satis, et satis de Psichologia.

DISSERTATIO IV.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Dei.

¿Quid exprimit haec vox Deus? Ens necessarium, supremum principium, ac omnium rerum rationem sufficientem.

¿Quid est Atheus? Homo, qui Deum negat, vel nescit.

¿Quotuplex est Atheus? Negativus, et positivus. Primus est, qui Deum nesciat. Secundus est, qui ejus ideam habeat, et illum neget existere.

¿Quotuplex est Atheus positivus? Teoricus et practicus. Primus est, qui verbis et sensu: secundus, qui operibus tantum Deum negat.

¿Existit Deus? Demostratur ejus existentia argumentis metaphisicis, phisicis, et moralibus.

Profer argumenta metaphysica. 1.º necesse est ut aliquod ens necessarium existat, quia aliter omnia contingentia essent, quae nempe potuissent existere aut non existere. Hoc est absurdum, quia, si omnia, quae existunt, potuerint existere, aut non existere supponi posset non existere: atqui supponi non potest non existere, tunc siquidem essent possibilia, quia contingentia, et non essent possibilia, quia nullum ens necessarium existeret, a quo illa pro-

ducerentur. Ergo existit ens necessarium, id est, Deus Hoc argumentum dilucidius explicatum fuit in ontologia, cum de ente necessario fuit sermo.

2.m Argumentum metaphysicum. Necesse est ut existat aliquod ens improductum et primum movens, et immobile: nam si entia omnia producta ac mota fuissent, ex his saltem unum se ipsum produxisset, atque movisset, quod absurdum erit; nam si se ipsum produxisset, ut causa esset prius, ut effectus se ipso posterius. Si se ipsum movisset, sive ad existentiam, sive ad locum, fuisset secundum idem sibi in potentia et in actu: in potentia, quia potuit recipere motum; in actu quia se ipsum movisset. Contradictoria. Est ergo causa improducta, aliarum effectrix, et primum movens immobile, á quo caetera moveantur, hoc est Deus.

3.m Argumentum metaphysicum. Ideam efformamus entis necessarii. Ergo est possibile; impossibilis enim ideam nobis repraesentare non possumus. ¿Quis unquam circuli quadrati, trianguli ve rotundi ideam cudat? Ergo existit ens necessarium, quia existentia includitur in idea entis necessarii, quam efformamus. Hoc est, ens necessariuum, dum possibile concipitur, concipitur existens, quia ejus essentia, quae concipitur, existentiam includit. Ergo aut possibile non dicendum, aut existens est confitendum.

Argumentum physicum. Opus, in quo ordo inspicitur etiam sapiens, pulcher, et constans, ut nullus sapientior, pulchrior, constantior queat inveniri. à mente sapientissima et suprema et prodiit, et regitur, et gubernatur. Talis autem ma-

chinae est Mundus. Ergo à suprema mente, Deo nempe, producta, recta et ordinata.

Argumentum morale. Quod omnes homines unanimi et constanti consensu fatentur pro certissimo habendum est Sed Populi, Nationesque omnes unanimi consensu Deum existere clamant. Deum ergo esse certissimum est.

CAPUT SECUNDUM.

De attributis Dei.

¿Quaenam nobis est essentia Dei? Necessitas existendi, vel motió entis à se, fons et origo invenitur in Ontologia omnium divinorum attributorum. Ergo in aseitate, ut dicunt Theologi, vel in eo, quod sit Deus ens á se, ejus essentia constituenda.

¿Quid sunt attributa Divina? Proprietates quae ex divina essentia profluere intelliguntur.

¿Cujus generis sunt? Positiva, et negativa. Prima vocabulis affirmativis nuncupamus, ut sunt sapientia, providentia &c Secunda vocibus negationem includentibus exprimimus ut immensitas, infinitas &c.

Sunt etiam attributa absoluta et relativa. Prima nullum ad res alias respectum habent, ut infinitas. Secunda habent respectum. Sic misericordia refertur ad creaturas. Insuper sunt attributa efficientia, quae ad operationes respectum habent, ut omnipotentia, et inefficientia, quae ad solum perfectionem Divinae naturae attinere concipiuntur, ut simplicitas.

¿Sunt plura attributa Dei? Ea omnia, quae sufficiant ad omnes imaginabiles perfectiones, quae nulla imperfectionis nota insigniantur, complectenda. Haec enim omnia in Deo sunt, ut comprobatum est in Ontologia.

Refer haec attributa. Infinitas, aeternitas, simplicitas, immutabilitas, unitas, immensitas, omnipotentia, intellectus sive intelligentia, et ratio, scientia, voluntas, libertas, bonitas, providentia.

Comproba in Deo esse haec omnia attributa. Aeternitatem, immutabilitatem, simplicitatem, immensitatem, et, verbo, caeteras omnes perfectiones habere ens necessarium in Ontologia demostratum est, dum de ente necessario loquebamur. Ast hoc ens necessarium est Deus. Nunc breviter dicimus ens necessarium debere esse infinitum, quia necessarium. Aliter enim aliquid ei deesset, limites haberet, quod necessitatis essentiae et existentiae repugnat, quia non esset necessarium, quod illa haberet. Deinde, si est ens necessarium, dependere nequit, sed, si esset finitum, accipere poterat realitates aliquas, quae, ab alio venirent, et tunc dependebat. Ergo infinitum est, omnes perfectiones possibiles habere debet. Caetera attributa sunt possibilia, suntque perfectiones Ergo illa habet; sed sigilatim de aliquîbus attributis loquamur.

¿Quid deducis ex eo quod Deus sit aeternus? Quod cum aeternitas sit interminabilis vitae tota simul et perfecta possesio, in Deo nihil praeteritum, nihil futurum: omnia simul, et semel sunt, fuerunt, et erunt.

¿Quid deducis ex eo quod Deus sit infini-

tus? Esse Deum ita perfectissimum, ut nihil melius excogitari possit. Ergo habet omnes perfectiones, et eas in grado superlativo. Ergo est bonitas ipsa, á qua omnis creata bonitas ortum ducit.

¿Quid dicis de Dei simplicitate? Deum omni carere compositione: si enim non careret, partes ab alia causa conjungi debuerint, et Deus non esset à se. Praeterea, simplex prius est composito. Ergo si Deus partibus componeretur, aliquid esset ante Deum, et non esset ens necessarium. Insuper, aut quaelibet pars erat Dei ante compositionem, aut non. Si primum, posita una, jam esset Deus, et caeterae erant inutiles. Si secundum ex deffectibus divinitatis exurgit divinitas.

¿Quid ex hoc deducis? Inter attributa divina nullam esse distinctionem, nisi ex nostro concipiendi modo. Nam si esset, Deus esset compositus, quia tot partes haberet, quod attributa distincta. Deinde, perfectius est ens, attributis indistinctis praeditum, quam quod distinctis. Ergo, cum Deus sit quod perfectius concipitur, non habet attributa distincta. Licet vero nostro modo cogitandi distincta illa concipere distinctione rationis. Nam Deum velut causam primam concipimus, quin de ejus misericordia v. g. cogitemus. Ergo ratione distinguuntur. Et certe, natura divina respectus habet diversos ad plura objecta, é quibus distinctio intellectualis originem ducit. Igitur aeternitas v. g. Dei est essentia Divina concepta á nobis prout semper existens: infinitas ipsa essentia concepta quatenus continens

omnes perfectiones: immensitas prout omnia complectens, sapientia prout omnia cognoscens &c.

¿Quid dicis de immutabilitate Dei? ¿A quo mutaretur? ¿Quid adquiret, si omnia habet? ¿Quid amitteret, si nihil ei deesse potest?

¿Quid deducis? Materialis concretionis Deum esse expertem: nam materia perfici, mutari, componique potest. Turpissime ergo errarunt Antropomorphytae, qui Deum figura humana praeditum asserebant.

¿Quid dicis de unitate Dei? Esse unum, quia duo infinita esse non possunt.

¿Quid deducendum? Ridiculum esse Politheorum cultum, qui plures Deos inducunt.

¿Quid dicis de Dei immensitate? Immensum esse, ubique praesentem, quia limitibus claudi non potest. Est sibi locus illocalis, quia sic in se continet omnia loca, ut non moveatur ipse per loca, nec per loca tendatur.

Magis proprié dicitur omnia esse in ipso, quam ipsum esse in omnibus.

¿Quid dicis de omnipotentia? Ipsam esse primam omnium causam, et omnia ejus omnino esse subjecta; quia Deus est ratio sufficiens rerum omnium, et omnia possibilia, si ad existentiam perveniunt, ab ente supremo existentiam acciperent. Hoc omnes Nationes suo consensu firmant, ad Deum omnia, quae in Natura eveniunt, referentes.

¿Quid deducis? Deum impossibilia non posse, cum Deus sit perfectissimus, perfectissimo modo operari debet. Ast imperfectissime ageret absurda patrando, quippe viribus oppositis, ac

se destruentibus ageret, prout loquendo de possibilitate rerum docuimus.

CAPUT TERTIUM.

De intellectu divino.

¿Quid dicis de Dei intellectu? Ad omnia videnda se extendit, quae cognoscit. Id probatur ex eo, quod haec facultas perfectio sit. Ergo in Deo erit.

Ex eo etiam, quod ex inspectione ordinatissimi Mundi deducitur. Ex eo denique, quod, si creata mens nostra plura, et praesentia, et praeterita et futura videt. ¿Non videbit Deus, et quidem tanto magis, quanto distat Deus infinitus á creatura finita?

¿Quod ex his deducis? Varia. 1.m Deus se et suas perfectiones uno intuitu videt, et semper videt. Et haec facultas intelligendi in Deo potentia non est, quia Deus est purus actus, quin ei aliquid de novo adveniat, quod praesens semper non fuerit. Aliter enim esset perfectio imperfectione admixta. 2.m Deus omnes essentias rerum, ac omnia possibilia cognoscit, et videt, quia essentias intelligibiles rerum omnium Deus in se continet 3.m Futura omnia Deus perfectissimé cognoscit, et modo, quo futura sunt. Nam omnia simul sunt Deo praesentia, et res omnès intelligibiliter videt. 4. Deus videt etiam omnia, quae aliqua conditione potuissent existere. Nam plura hujusmodi praedicta sunt in scripturis. Et iusuper, sunt cognoscibilia, et illa nos-

cere perfectius est, quam non cognoscere: Ergo Deus, qui omnes continet perfectiones, illam habet cognitionem. Praeterea, haec futura conditionata aliquando cognoscit homo? Quare Deus non cognoscit omnia, si homine est infinité perfectior? 5.° Intellectus divinus infinitus est, et à menté creata incomprehensibilis. Objectum divinae intelligentiae sunt omnia possibilia, omnia praesentia, omnia futura. Haec sunt numero infinita, et illa Deus cognoscit. Ergo ejus intellectus est infinitus. ¿Quaenam ergo creatura finita comprehendet infinitum intellectum, qui infinitas cognitiones complectitur.

¿Habet Deus rationem? Et perfectissimam. Ratio est facultas veritates universales, et harum catenationes et dependentias intropiciendi. Deus autem eam perfectissime habere ex inspectione Mundi ordinatissimi, quem condidit, deducitur, si verum est artificem opus suum non posse exequi, nisi exemplar et nexus operis habeat in mente.

¿Quid deducitur? In Deo non esse ratiocinationem prout in nobis, quia supponeret descensus de cognito ad incognitum. Eminentiori modo habet, quia nexum veritatum cognoscit, sed sine labore et conatu et progresu ex una ad aliam veritatem, verbo, uno intuitu nexus cognoscit. Idem dicas de cognitione convenientiae attributorum sive judicio.

CAPUT QUARTUM.

De voluntate Dei.

¿Deus pollet voluntate? Utique, quia sunt possibilia, quorum existentia debet á Deo determinari; ast determinatio est effectus voluntatis. Deinde, si Deus intellectum et rationem habet, ut diximus, et cognoscit bonum, quod est objectum voluntatis. Cum autem haec cognitio vana esset in Deo, nisi voluntatem haberet, habere eam dicendum est.

¿Est etiam Dei voluntas libera? Est; quia nulla creata bonitas, utpote limitata, flectere necessarió potest Deum ad se prosequendum. Ergo libére prosequitur. Insuper si Deus liber non esset, contingentia, quae Deo existentiam debent, essent necessaria.

¿Voluntas Dei est immutabilis? Est, quia est attributum Dei, ac inde ipsamet ejus Natura, quae est immutábilis. Deinde voluntas humana mutatur, quia, ut limitata, et non cognoscens omnia novis motivis supervenientibus ad alia flectitur. Sed Deo omnia simul praeşentia sunt, et ei nihil novi apparere potest. Hinc fixum est quod semel decrevit.

¿Quotuplex est Dei decretum? Positivum, et permissivum. 1.n Est, quod contingentium existentiam decernit. 2. Illud, quod permitit malum morale ab homine liberé perpetrandum.

¿Est Deus in decretis sapientissimus? Est, quia propter finem agit, dirigit res ad finem,

et hic finis et media asumpta sunt perfectissima, ut videtur in Mundo. Deinde, homo non sapienter decernit, vel quia finem, vel quia media ignorat; vel quia insufficiens est ad fines intermedios ultimo subordinandos. Sed Deus est sapientissimus, et omnipotens.

¿Quid ex allatis deducis? 1.° Deum velle operari propter finem, et finem, qui Deum deceat. Sed non decet Deum á finita bonitate moveri. Ergo non creatura, sed increata Dei bonitas, Dei est finis, et suae gloriae ostentatio. 2.° Utpote sapiens mediis magis conducentibus utitur. Ergo studet compendium, et superflua non operatur, quia minime conducentia. 3.° Malum Deus nec vult, nec tamquam finem intendere potest, quia est perfectissimus ac summe bonus, et talis non esset si vellet patrare malum.

¿Unde ergo sunt mala? Respondeo malum esse vel Metaphysicum, vel Physicum, vel Morale. Metaphysicum consistit in eo, quod creatura habeat limitatam perfectionem: quod malum negativum est; et necessarium. Physicum sunt effectus naturales statum Physicum rerum mutantes, ut morbi, tempestates &c. Primum est creaturae essentiale, quia eo sublato, Deus evaderet. Secundum est consecutio necessaria sistematis Universi, cui collisio est essentialis, ut plurima bona procedant, eaque generalia. Tertium oritur é legum latione, et ab hominis libertate. Latio legum á Dei perfectione et gubernatione dependet. Homo agendo aut non agendo, prout libuerit, legem transgredi potest. Hu-

jus deffectionis á lege, vel privationis bonitatis in actionè homo est auctor.

¿Vult Deus hominum felicitatem? Vult. Innato pondere fecit, voluntatem humanam tendere in bonum. Ergo vult ejus felicitatem: nam dedeceret, non dicam Deum, sed homines vocare ad felicitatem, et nolle ipsam concedi.

¿Quaenam deducuntur? Deum esse summe bonum bonitate relativa, seu beneficentia. Ergo media necessaria ad beatitudinem assequendam impertitur homini, cujus felicitati intendit.

¿Quomodo tunc Deus aut voluit, aut permissit mala? Respondeo é supra dictis metaphysicum malum esse negativum, et creaturae essentiale: physicum esse bonum in ordine ad totum, ipsiusque perfectionis. Morale esse privationem bonitatis actionis á libertate productam. Dices ¿Quare illum permittit Deus? funesta libertas, si homo ea abuti debebat. ¿Quare eum non tollit Deus, aut impedit abussum? Non vides, homuncule, bonum triticum eradicatum ire, si zizaniam, quam sevit inimicus homo, eradices? Dies venient, quibus maturum triticum congregetur in horrea, zizania vero igni comburenti mendetur. ¿Et tu libertati renuntiares, et bonis, et praemis, quae ejus rectus usus tibi offert, quia eà potest abuti? ¿Tu egènus et pauper clamares in eum, qui ut lucrum haberes, te pecuniosum faceret, quia hac potest pecunia abuti? Si insistas Deum dicens tollere aut impedire debuisse libertatem eorum, qui ea erant abusurí, specialem legem cuilibet homini exigis, nulla generali statuta. Lex

SITARIA BIBLIO

ad communia tendit, nullasque legislator cuilibet casui statuit legem.

¿Quid debuit Deus facere erga homines, si ejus felicitatem vult? Leges ferre, quibus eis consulat: nam felicitatem homines obtinere nequeunt, limitati cum sint, perturbationibus obnoxii et liberi, nisi lege regantur. Experientia docet duci nos á sensitivo appetitu conculcata ratione. Si ergo Deus felicitatem hominis vult, allatis malis legibus mederi debuit.

¿Et quomodo hae leges promulgantur? Rationis lumine Et certé, illud dictat Deum amare, nosmetipsos diligere, et tueri, et etiam alios honos debere. Et cum aplicatio principiorum honorum ad singulares casus á nobis affectibus et cupiditatibus implicatis absque errore non semper fiat, providentissimus noster Auctor loquutus est olim hominibus in prophetis, novissime vero in suo filio.

CAPUT QUINTUM.

De deo creatore, et conservatore.

¿Quomodo Deus producit substantias creatas? Illae sunt contingentes. Ergo aliquando non fuerunt. Effici nequeunt, quia simplices, nisi per creationem. Ergo creatae sunt. Ad creandum autem requiritur infinita potentia, quae reperitur tantum in Deo. Ergo Deus eas creavit.

¿Quomodo conservat Deus res creatas? Et positiva voluntate conservandi existentiam re-

rum, et removendo impedimenta, quibus destruerentur. Quoad secundum ¿Quo modo eficaciter vult aliquis conservationem rei, nisi impedimenta eam frustrantia removeat? Quoad primum. Non concipitur decretum divinum de re producenda, nisi respiciat ad tempus etiam, per quod conservari decrevit: neque enim supponendum est Deum infinité sapientem et potentem é manibus mittere res, quas fecit, prout faceret respectu suorum operum scientia et potentia limitatus homo. Hinc in scholis valuit proverbium, conservatio est continuata productio.

¿Deus concurrit ad omnes creaturarum actiones? Ut respondeamus sciendum est concursum, vel cooperationem esse duplicem, generalem ac mediatum unum, immediatum vel simultaneum alium. Primus est ille, quo Deus res creatas sibi ipsis permitteret, ut caeteras actiones marte suo peragererent, quin aliquid in ipsas influeret. Secundus ille est, quo non solum Deus res creatas in suo statu conservat, sed etiam ad singulas status modificationes consensione quadam cooperatur ita, ut actio, quae â creatura proficiscatur, vim accipiat à Deo ut eliciatur. Nunc respondeo: Deus concurrit ad creaturarum actiones simultaneo concursu: nam exercitium facultatis operandi est perfectio. Sed Deus est omnium perfectionum fons. Ergo á Deo immediaté concurrente derivantur creaturarum actiones. Praeterea, causae creatae quovis momento conservantur á Deo. Ergo á Deo accipimus agendi vim, illiusque exercitium. Demum, ni si effectus á causa secunda productus, esset si-

mul á causa prima, causa prima esset secunda respectu effectus, eodem modo ac avi nostri respectu nostrarum actionum.

CAPUT SEXTUM.

De dei providentía.

¿Quid est in Deo providentia? Cura illa, qua rerum satagit, ad finem dirigit, et media apta disponit ut consequantur fines.

¿Quotuplex est? Universalis et specialis. Prima generalem universi procurationem denotat: singulorum entium administrationem secunda.

¿Est in Deo providentia? Est, et Mundum, et omnes Mundi partes ab initio constituit, et omni in tempore administrat. Nam et futura et possibilia scit Deus, et apta media ad fines, ut sapientissimus disponere debet, et, quia omnipotens, apté res subsequentes ad placitum disponit, et conservat omnia entia, et simultaneé creaturis ad omnes actiones concurrit. Ergo est providentíssimus.

Adde consensum Nationum omnium, quae Naturae voce admonitae in rebus adversis, dubiis, desideratis, inopinatis ad Deum convertuntur, ut exaudiantur. Et certé, ut patebit postea, religio est hominibus necessaria. ¿Quaenam autem religio si creatum Mundum Deus manumittat? si actum de religione sit, actum de pietate de sanctitate. de justitia, quia actum de amore et timore Dei? Adesset perturbatio vitae et magna confusio. Horrenda haec. Ergo est in Deo providentia.

Insuper si Deus est, aliquid facit, illudque praeclarum. ¿Quid praeclarius, quam Mundum subministrare? In Mundo est ordo. ¿Erit ordo á causa? Non nisi á Deo. Habet ergo providemtiam.

CAPUT SEPTIMUM.

De deo religione colendo.

§ I.

De religione generatim.

¿Quid est religio? Cultus amoris, honoris, et obsequii, ei, cui debetur, exhibitus.

¿Quot modis hic cultus potest esse vitiosus? Vel superstitione, vel impietate; Hoc est vel excesu vel deffectú.

¿Quid est superititio? Si tribuatur cultus modo ac ritibus non decentibus, aut recté non sentiendo de natura illius, cui praestantur cultus, vel de rebus, quae ad ipsum pertineant. Impietas quando aut negatur cultus, aut aliquid ei deest.

¿Quotuplex est religio? Naturalis et revelata. 1ª continet, quae ad Dei cultum pertinent rationis lumine cognita 2ª eis addit, quae Deus homini patefacere voluit ad suum cultum spectantia.

¿Quotuplex est utraque religio? Teorica et practica. 1ª extenditur ad ea, quae opportet credere. 2ª ad ea, quae opportet ageré.

¿Possunt esse oppositae religio naturalis et revelata? Minime, quia ambae manant á Deo, qui non potest sibi esse contrarius. Revelata naturalem non destruit sed complet.

¿Quid dicis de religione? Deo debetur religio. Id probo ex eo, quod religio est cultus amoris, honoris et obsequii. Sed Deo debetur amor, quia est suprema causa omnium, et nostri, et est perfectissimus: debetur honor, quia infinitus et perfectissimus: debetur obsequium, quia omnium, et nostrûm Dominus. Sed in iis consistit religio. Ergo Deo debetur religio. Nationum omnium vox, quae absque religione non fuerunt, ipsam Deo deberi demonstrat. Vel Epicurei providentiam negantes cultum aliquem reliquerunt.

¿Quid dicis de religione naturali? Existit religio naturalis, omnemque hominem rationis compotem obligat. Deo debetur religio ab irrationali, vel á rationali. Non á primo. Ergo á secundo, quia amor, honor et obsequium actus sunt rationis. Nunc cum Deus sit providentissimus et religio maxime necessaria, providere debuit ne homini lumen difficere, quod ad obsequium Deo praestandum duceretur. Sed hic cultus lumine Naturae dictatus est religio naturalis. Ergo existit, et hominem obligat. Adde quod Deum esse supremam causam ratione cognoscimus. Qui autem ratione hoc cognoscat, causam debet amare, honorare et obsequi.

¿Quot religiones possunt esse verae? Una tantum vera esse potest. Si plures essent, aut ob multiplicitatem objectorum vel ob cultuum

diversitatem. Non primum, quia Deus est unicus. Non secundum, quia hi cultus diversi, aut essent contrarii rationi, aut conformes. Si primum non esset vera religio. Si secundum erunt hi omnes cultus modificationes diversae, quae essentiam non mutarent. Ergo una tantum erit vera religio.

Refer aliquas religiones falsas. Nihil dicam de Atheis, quia, cum non admittant Deum, nec religionem. Theista sive Deista est ille, qui nullum dogma religionis recipit, nisi Dei existentiam. Deistarum sunt varia genera. Naturalistae providentiam et quamdam legem naturalem admittunt. Epicurei providentiam, et pié Naturam praestantem colunt. Politheistae plures Deos admittunt, et tot faciunt religiones, quot Deos colunt. Manichaei biformem habent religionem, quia duo opposita principia statuunt, unum boni, alterum mali. Pantheismus vel est Stoicorum, qui Mundum á Deo animatum credunt, vel Spinozae substantiam naturalem et Deum promiscué habentis. Hae sunt absurdae religiones contra naturalem.

¿Quid dicis de indiferentia erga religionem? Esse delirium. ¿Erit indiferens Deo ritibus rectis et puris, vel absurdis et impuris coli? Si Deus est unus, perfectus, sanctus, probus, non placebit illi cultus, qui non sit ejus attributis confirmis.

¿Possunt invincibiliter ignorari praecepta legis Naturae quae religionem dubitant? Minime: nam extant, omnes obligant, et praeter illos nulla est religio, quae obligationem, quam

illa imponunt, solvat, et sunt sufficienter promulgata, nempe á voce Naturae et ratione, quae omnibus intimé est conjuncta.

¿Quid dicis de iis, qui negant esse naturalem religionem, et ea, quae sunt mala, esse mala dicunt, quia legibus humanis prohibita? Pugnare hanc amentiam cum omnium Nationum consensu, qui bona et mala esse credunt: cum conscientiae clamoribus ob actionem malam patratam, vel sine testibus: inferre horridum bellum et confusionem in Mundo, humanamumque genus; et negare Deum voluisse entia et ordinem, quae statuit, conservari intacta.

¿Quid dicis de Spinoza statuente quemlibet hominem jus summum in omnia habere? Tunc jus, non ratione, sed cupiditate et potentia hominum consisteret. ¿Velles tu Mundum ita conditum fuisse? Et si non tu, voluisset Deus, qui hominum vult felicitatem?

¿Quid dicis de Helvetio aliisque, qui ad utilitatem sui jus refferunt, ab utilitate physica illud derivant, aut de Rusoi sistemate negante legibus teneri homines in statu naturali? Eadem dico, quae adversus deliria proxime relata.

§ II.

De religione revelata.

¿Quid dicis de religione revelata? Illam esse possibilem, nulla siquidem repugnantia inveni-

tur in eo, quod Deus supremus Dominus peculiariter homini manifestat ac imperet aliquos actus et ritus ad cultum suum pectantes. ¿Dedeceret Deum ita coli prout ipse dictavit?

¿Haec religio est necessaria? In praesenti rerum statu praeter religionem naturalem, revelata est homini necessaria. Sunt plura, quae ad religionem naturalem pertinent, et intellectus humanus assequi nequit. ¿Si potuit, quae Natio sine revelatione mores suos juxta legem naturalem composuit? ¿Quaenam hanc naturalem religionem non deturpavit? ¿Quaenam praeter Hebraeorum gentes plures Deos non coluit? Si corruit naturalis religio, et hominum moralis corruerit. Nec refferam obscenos et ridiculos, sacrificiorum ritus, festorum ridiculas pompas, et vel delicta nefanda in honorem Deorum patrata. Primus et sanctissimus inter Phylosophos graecos Socrates moriturus Aesculapio sacrificavit gallinaceum Gallum, ergo aliud numen affulgere hominibus debuit, ut ad finem suum perducerentur, legemque naturalem servarent.

Idem probatur etiam ex eo, quod homo liber violare potest naturalem religionem, et frequenter violavit. Hoc statu relationes suas erga Deum naturalibus dogmatibus nequibat cognoscere, nec scire quomodo ob frequentes transgresiones Deum posset placare, nec quid sperare posset, quid ab ipso timere, et in praesenti et in futuro vitae statu. Ergo alio lumine indigebat. Deus providentissimus, qui liberum hominem condidit, providere quodam modo debebat, ne penitus praecipuum opus suum periret. Si

Deus non solum necescitates, sed delitias homini praestat, ¿hujus modi hominis neglexisset statum?

§ III.

De Religione Christiana.

¿Quid est religio christiana? Quae libris novi testamenti, ac praecipué in Evangeliis est contenta. Dogmata praecipua sunt divina Christi missio, miracula, doctrina, mors pro hominum salute, et á mortuis suscitatio.

¿Quo modo probabis religionem christianam esse veram? Si proxime allata dogmata rata esse ostendam. *Incipias ostensionem.* Rerum gestarum á Christo historia, quam habemus, saltem eam fidem meretur, quam probatissima quaeque ad tempora nostra perlata. Propterea omnes historiae vel profanae ab omnibus recipiuntur, quia vel ab occulatis testibus, vel á publicis monumentis sunt desumptae, vel quia de rebus omnibus notis agant, quae ab aliis, vel ejusdem temporis, vel proximioris, scriptoribus comprobentur. Talis est historia rerum gestarum á Christo. Nam scriptores aut occulati sunt testes, aut ab occulatis acceperunt, quae scribunt, et in lucem edita ab aliis, qui aut testes fuerunt, aut á testibus eadem acceperunt, confirmantur, et á rivalibus ejusdem doctrinae silentio sunt roborata; cum, si falsa fuissent, mendacii protinus eos arguissent. Et certe, Judaei Christiani nominis hostes, qui Christum crucifigere anxiae curarunt

et in Discipulos probris, fraudibus, dolis, suppliciis decertarunt, mendacii facinus exprobassent. Nihil horum accidit: imo potius vel illi, qui discessionem fecere, aut sectam novam instituerunt, non negarunt veritatem historiae; sed ad suum sensum detorquerunt, quod est eam penitus confirmare. Haeretici, qui Christum Deum esse negabant, nunquam apochrypha Evangelia dixerunt, cum hoc probando, suam sententiam probatam habuerint. Ergo juxta regulas criticae historia Christi meretur fidem non solum aequalem, sed superiorem ei, quam aliis historiis damus.

Quod confirmatur ex eo, quod historiis caeteris dari Auctoribus exceptio potest odii, partium amoris, ambitionis, credulitatis, &c. Nihil horum in Scriptoribus gestorum Christi: nam prodiderunt ea, quibus aerumnae tormenta, cruces, supplicia, infamia mors parabantur. Moderatione animi, et non exagerata narratione odia, persequutiones, supplicia, quibus Iudaei Magistrum et Discipulos insectabantur, exponunt. Simplex, brevis, non exageratus stilus in referendis praeceptis sublimibus, frecuentibus praedictionibus, et portentosis miraculis, quae omnia exornassent, si ambitio, partium amor aut alius inordinatus affectus duxissent stilum. Et, si rudes plurimi Discipuli fuerunt, creduli non sunt dicendi, cum resurrectionis probationem inhiassent, licet toties praedicta fuisset, et eam Christus miraculis confirmavit, et vel se Thomae palpandum permissit. Ergo aut credenda historia Christi, aut auctoritatis crite-

tium et fides hominum res sunt vanae.

¿Quid dicis de Christo? Christum esse Deum nemo prudenter ambigere potest. Historia Christi est vera. Sed in ea aperte dicitur esse Deum, Ergo prudenter de eo nemo potes ambigere. A re quidem vera, qui illam historiam legat, aut amentem, aut hominem perditissimum, aut Deum esse Christum cogitur confiteri. Ad amentiam quod attinet: nullus ejus inimicus amentem eum vocavit, nec Herodi id putandi eorum nemo assensum praestitit, licet omnes ex hoc solo capite doctrinam ejus, sectatores, facta omnia convellere potuissent. ¿Amenti homini constanter obsequium praebuissent discipuli, populus virique nobiles?

Praecepta sapientissima, purissima dogmata exemplo confirmata, quin vel á dicacissimo objectum sit Christum factis á dictis dissentire, eum probant hominun scelestum non fuisse. Nec á tali homine portenta patrari potuissent, quibus suam confirmavit divinitatem. ¿Ita Deus negligeret Mundum, ut miracula fieri passus esset in confirmationem divinitatis scelesti hominis religionisque falsae? ¿Tam parvi habet suum honorem, qui dixit *gloriam meam alteri non dabo?* Restat quod dicamus Deum esse, et hoc ipsum est, quod probant ejus miracula, miracula Discipulorum, continua praedicatio, martiria, quae subierunt, quae vitare potuissent Christum esse negantes.

¿Quid dicis de religione christiana? Religionem christianam veram esse á Deoque revelatam. Demostratum est veram esse vitae Christi

historiam ipsumque verum Deum. Ergo doctrina ejus vera est, et revelata á Deo. Id ipsum confirmatur á miraculis, quibus est propagata, et ab ejus diffussione per orbem. Quoad primum: et acta Apostolorum, et Scriptores primaevae Ecclesiae, et constans reliquorum soeculorum traditio declarant discipulos Christi innumera fecisse miracula pro suae doctrinae confirmatione, et si hoc ita non fuisset. ¿Quomodo pauci homines, pauperes, ignobiles, illiterati, adversantibus Principibus, integrisque imperiis, doctrinam Magistri propagare unquam potuissent? Quoad secumdum: religio christiana ita velociter est propagata, ut primo soeculo vel nullum oppidum fuisset, ubi non invocaretur Christus. Adde Persarum, Aetiopum, Indorum imperia, ubi Apostoli predicarunt Christum, ubi christianos plures fecerunt, ut credendum est ex eo, quod in imperio Romano factum vidimus. Mirus non fuisset progressus iste, si Princeps aliquis gloriosus et potens, aut victricia arma Mahumedamae sectae, aut effraenata illius licentia induxissent religionem christianam. Sed nomen ab omnibus dejectum; Imperatoribus integrisque populis adorandum proponeret non eloquentia, non armis, non morum licentia concessa, ab hominibus ignaris severissimum morum, disciplinam, abnegationemque praedicantibus, idque non paucis, sed toti imperio persuassise, portentum est, quod religionis christianae veritatem demonstrat.

¿Quid amplius dicis de religione christiana? Solam esse veram et ab omnibus mortalibus debere amplecti. Una enim tantum est vera reli-

gio. Sed religio christiana est vera. Sola ergo vera est. Et cum Deo debeatur religio, et non nisi quae vera sit, et á Deo revelata: et insuper, cum indifferentia religionis antea sit ostensa absurda, deducendum est omnes mortales teneri eam amplecti.

¿Quid dicis de religionis christianae ossoribus? Nullus versus eam scripsisse, qui ejus attentis moribus exceptionem non patiatur. Et certe; nulla in hanc religionem scripta aparuissent, si nulla moralia dogmata complecteretur. Possem vel hostium Christi verba laudare, quae Evangelii sanctitatem praedicat, si clara omnibus veritas suorum inimicorum indigeret confirmatione, si videndo soli parva sintillula indigeremus. Sed naturali Theologiae dantes finem et Metaphysicae finem damus.

VALEDICTIO.

Vos nunc inter Discipulos, quos mihi docêre sors dedit, optatissimi et dilectissimi: vos, qui tres continuos cursus per stadium philosophicum sustinuistis, mecumque jam jam metam attingitis: qui concertationes logicas, universae Physicae examina, specialisque nobiliora pericula honore plausuque nobilissimi coetus Hispalensium Doctorum, illustrissimique Magistratus primi Hispalensis, cui labores dicastis, dexterrime effecistis: qui selectiora Logices, utiliora Matematis, abstrusiora utriusque Physices, pulchriora Astronomiae sublimiora Metaphysices, opimiora Ethices, dicendi Artis necessariora, commodiora Artis taquigraphicé scri-

bendi diligentissimé didiscistis, laborem hunc qualumcumque meum, quem vobis dicatum volui, accipite. Nec libellum hunc reprehendatis.

Cui nec multa dies, nec multa littura coercuit.

¿Nescitis meum omne insumpsisse tempus vos docendi laborem? ¿Obliviscimini instanter vos, ut examinibus praepararemini, petiisse Metaphisicae epitomen? Illam et benevole suscipite, et discite, prout vehementissime aveo Valete, *gaudium meum, et corona mea* valete.

APPENDIX

DE ESSENTIA CORPORIS NOMINALI

SIVE DE QUALITATIBUS CORPORIS ESSENTIALIBUS.

Corporum, entium illorum, quae in sensus nostros agunt, quibus circumdamur, essentia multis ab hinc soeculis est inquisita, et sequentibus inquiretur. In iis nempe vestigatur id, quod sit primum, caeterorum fons, adsit semper, absit numquam, nec remitatur, nec augeatur, verbo, quo posito corpus ponatur, auferaturque si demum sublatum fuerit. Utilissima, siquae est, inquisitio, totiusque physicae. Naturaeque interpretationis solidissimum fundamentum. ¿Quinam enim effectus, ea enodata, praedici non possent? ¿Cujusnam phoenomeni ratio non rederetur?

Quid ergo in ré illa, quae audit corpus, deprehendimus? Corpus est sensibile. Ergo activum. Ergo illud nobis nihil aliud est nisi aggregatum virium vel effectu, id est, motu conjunctarum, ut

in nos in corpus non agentes agant, vel conatu tantum consistentium, ut in nos agant, si illas deturbare conemur.

¿Nihil aliud in corpore est? Nobis nihil aliud apparet; ast virium subjectum aliquod fateamur insensibile, utpote non activum, quod in corpore est erga nos tanquam si non esset. Eapropter propietates ejus nec cognoscimus, nec cognoscere unquam poterimus. Inde est sané quod in assignanda corporis essentia nil influat, siquidem nil sensibile producit. Quod subjectum admittimus ne cum communibus ideis philosophorum pugnemus in re, quae, ex dictis, nil nobis evolventibus corporis essentiam conducit. Ast non omnibus haec arriserunt. Vires, inquiunt, nihil aliud sunt quam effectus Dei voluntatis, ubi nil nobis reale est nisi ipse effectus. Impenetrabilitas v. g exorta est statim ac dixit Deus hic resistentia sentiatur insuperabilis. Attractio statim ac Deus dixit hae allatae resistentiae talibus circumstantiis accedant, vel conentur accedere, id est, exerceantur distantiis quae sint proximiores. Sic de viribus caeteris. ¡Quam pulchré hac hipotesi rerum, dicunt, genesis explicatur! ¡Quam exacte verba Moysis accipiuntur *fiat et factum est*! ¿Ubinam hic, virium subjectum? ¿Quonam argumento haec, rogant, pessumdabuntur?

Nec illa, clamant, philosophi damnent: vires siquidem, si ipsas intimitús prospicere velint, apud ipsos nihil sunt aliud nisi Dei voluntas allato modo explicata. Nempe adfuit inactivum subjectum. Huic vires addendae. ¿Quid?

¿Impulsum stricté sumptum á Deo accepit? Verbo Dei praecipienti obedit. Resiste, movere, age. Egit, motum est, restitit. Verum haec aliis, qui divinationibus delectentur.

Corpus igitur virium est conjunctio, quae sic vel aliter operentur. Est res, quae vires habet ad hos motus, vel alios, ad has, vel illas resistentias producendas. Est res ex subjecto virium et viribus his, vel aliis, coalescens. ¿Quid est illud subjectum? Nescio, cum insensibile sit, et cum ejus natura ex iis, quae nobis sensibilia sunt, minimé cognoscatur. ¿Quid est vis? Nescio, cum tantum illius effectus, non natura nobis exhibeatur. Scio ergo de corpore solummodo effectus, et ex iis facultates habere, quas ignoto virium vocabulo ex primo, ad illos edendos. Eo igitur tantum tendere valet circa essentiam corporis inquisitio, ut sciamus quos motus et resistentias producere posse debeat res illa, quae dicitur corpus, ut corpus dicatur. ¿Et si tandem exantlatis laboribus id constet, dicet aliquis, essentia corporis est inventa? Nullatenus ¿Quis ergo totius inquisitionis fsuctus, quisnam scopus? Scire quos effectus necesarios posse producere debeat res, quae corpus sit, ut esse corpus non desinat, quos amittere valeat, quin quod est esse desinat: verbo, vestigabimus quaenam vires (quidquid illae siut) primariae in corpore reperiantur. Essentiam proinde non realem, sed nominalem, (sic eam appello) inquirimus, seu quid concipere debeam, ut concipiam corpus.

Subjectum ergo virium corpus non est. Vi-

res corpora non sunt, siquidem illud et hae corpus componunt: partes autem resve componentes naturâ differunt a re composita. Sed subjectum et vires res corporeae sunt, id est principia corporis, ad corpus spectant.

Subjectum allatum, cui vires insunt, una pars est, quarum sunt plurimae in mundo, ex quibus adunatis sensibilia corpora conficiuntur. Sunt namque principia extensionis, hoc est, compositionis cujusdam, cujus principia esse debent expartia. Ergo ¿quid per corpus intelligimus, illas inextensas partes viríbus praeditas, an aggregatum, quod ex ipsis consurgit? Et illae corpus, sunt, et hoc (¿Quare illae partes corpus non erunt, cum et subjecto virium, et viribus constent? Si corpus eas dicere nolint, non repugnamus: nil nostra id interest) Ast cum illae partes separatae ab invicem non existant, sed plurimae in unum coadunatae, unius istiusmodi essentia inquiritur. Aliud habent partes illae, qua partes sunt, aliud qua partes coadunatae. Hae nobis sensibiles sunt; insensibiles illae. Primae insensibile corpus dicentur, sensibile corpus secundae. Ex proprietatibus illarum partium insensibilium, et ex proprietatibus, quae unioni earum conveniant, totum hoc exurgit, corpus nempe sensibile, cujus essentia vestigatur. Ut autem haec constet, quid habeant partes qua partes, quid illae qua coadunatae, inquirendum.

Corpus ergo minutatim examinemus. Omnia, quae in ipso inveniantur, aut motus erunt diversi, aut conatus, resistentiaeve quaedam, cum

sit sensibile. Motus hos cum Verulamio illo sapientissimo Naturae interprete et numeremus, et illis nomina imponamus.

Motus resistentiave 1. sit *impenetrabilitas*. Nec miremini motum nos illam vocare: ea enim crebro in corporibus motu insinuatur: Illa fit ut corpus anihilari nolit et ita ut nullum incendium, nullum pondus, depressio, violentia, aetas, diuturnitas temporis nulla, vel minimam materiae partem in nihilum valeat redigere. Pars illa et erit aliquid, et locum occupabit, et se, in qualicumque necesitate ponatur, vel formam mutando, vel locum, (ecce motus) liberabit, vel, si non detur copia, ut est subsistet, neque unquam eo res veniet ut corporis pars nihil sit, vel nullibi, vel cum parte alia eumdem penitus occupet locùm.

Motus 2. ille est, quem *nexus* appello, quo corpora non patiuntur dirimi a corporibus, quibus sunt nexa, et quae tangunt, ita ut vacuum abhorrere videantur. Sic aqua sursum exsuccione ascendit, caro per ventosas, similiterque similia.

Motus 3. *libertatis motus* vocabitur, quo corpora liberari volunt a pressura, et tensura praeternaturali, et restitui ad dimensum sibi conveniens. A pressura liberantur laminae v. g. in horologio, â tensura corium, si dilatetur. Motus *elasticitatis* hic vocari solet, quo figura recuperatur, si fortassis amisa fuerit.

Motus 4. est ille, quo corpora novum dimensum, vel novam sphaeram, id est, fieri majora appetunt, atque ad illud quandoque valen-

tissimo nisu aspirant, ut in pulvere pyrio, in aere calefacto, in aqua congelata conspicitur. Motum hunc motum *Hyles* Verulamius vocat.

Motus 5. *continuationis est*, quo fit, ut corpora omnia exhorrescant solutionem sui, alia magis, alia minus, et partes accedant proinde ad partes, quae aliquantulum disgregentur.

Motus 6. sit ille, qui vocari potest *indigentiae*, quo corpora, quando versantur inter heterogenea, si commodítatem ad illa evitanda adipiscantur, se applicant ad magis cognata. Sic aurum foliatum non delectatur aere, et si crassum corpus nanciscatur, ipsi adhaeret, et non facile divelitur.

Motus 7. *congregationis majoris* dici potest, quo feruntur corpora ad massas connaturalium suorum. v. g. corpora omnia terrestria ad globum terrae.

Motus 8. erit, qui *congregationis minoris* vocabitur, quo homogeneae partes in corpore aliquo se ab heterogeneis separant, coeunt, et amplectuntur ad se venientes, ut in vino foeces, et tartarum. Motus hic non venit tantum a gravitate respectiva, qua fiat ut foeces in fundo coeant, utpote vino graviores. Nan talis motus non conspicitur nisi aut calore, aut agitatione, aut frigore excitetur, quod gravitati repugnat.

Motus 9. erit ille, quem *magneticum* dicimus, et est quando corpora accedunt, sed non usque ad contactum, ut in aquis maris, et Luna observatur, in Sole, et Planetis.

Motus 10. *fugae* motus dicetur, et est ille,

quo corpora fugant, et fugiunt corpora alia, et cum iis se miscere recussant.

Motus 11. *assimilationis* est, quo corpora alia corpora in materiam sibi simílem convertunt, ut flamma lignum inflammam vertit, caro, ossa, sanguis, caetera alimentum in carnem convertunt in sanguinem, in ossa, et caetera.

Motus 12. *excitationis* dicetur, quo corpus excitatur, et disponitur, ut fiat ejusdem naturae ac excitans.

Motus 13. est ille qui *impressionis* vocabitur, qui ex genere est duorum antecedentium, quia producit aliquid sibi simile, sed ipso absente perit efectus, quod non accidit in illis duobus, qui huic praecedunt. Sic luce extincta pereunt colores, amota percussione, et quassatione corporis inde facta, perit sonus, remoto magnete corpus ferreum cadit.

Motus 14. est *configurationis* aut *situs*, quo fit, ut corpora cum aliis hanc et non aliam collocationem, hunc situm et non alium appetant. Coelum volvitur ex oriente in occidentem, aut terra in orientem ex occidente (juxta probabilius sistema) et non vice versa. Coelum ipsum, aut terra, circa Polos juxta Ursas situm, et contrarium, sed non circa Polos in alia parte locatos. In corporibus demum duris et consistentibus haec, et non alia, est fibrarum, villorum, caeterorumque dispositio.

Motus 15. est *pertransitionis*, quo virtutes corporum magis, aut minus, provehuntur, vel impediuntur â mediis ipsorum pro corporum virtutum, et medii, natura diversa. Sic luci

aliud medium convenit, aliud calori, frigori, magneticis virtutibus alia.

Motus 16. erit motus *Regius, vel Politicus,* quo partes praedominantes in corpore reliquas partes froenant, domant, subigunt, ordinant, cogunt eas adunari, separari, consistere, moveri, collocari, prout ad bene esse partium imperantium conveniat. Sic observatur in spiritibus animalium, qui motum reliquarum partium contemperant.

Motus 17. *rotationis* est, quo corpora non alia, sed se ipsa, petunt circa centrum suum se volventia.

Motus 18. *trepidationis* erit, quo corpora nec bene omnino pro sua natura locata, et tamen non omnino male se habentia, perpetuo trepidant, et irrequiete se agunt, nec statu suo contenta, nec ulterius progredi aussa. Hic motus in corde, in animalium pulsibus reperitur.

Motus 19. *exhorrentiae motus* dicetur, quo corpora, quae quietem videntur appetere, moventur, et quidem agilia apparent ad quietem obtinendam, et, quieta dum sint, consistunt: sic terra (inquiunt) stat mole sua. Sic corpora majorem in modum condensata quiescunt, et si motus iis inferatur, ad quietem conatu tendunt. His motibus, et resistentia, vive quadam, quam motum appellare nequimus, quaeque inertia vocatur, qua fit ut quietis, vel motus, vel alium quemvis statum conservent corpora, et resistant viribus illos deturbare conantibus, activa sunt ipsa corpora, et iis eorum activitas sensui fit obvia.

Nunc ut motus sit, vis motum producens esse debet. Motus ad essentiam corporis pertinere nequit, cum illud sive motum, sive quietum, aeque sit corpus. Vires ergo motus antea allatos producentes ad essentiam possunt tamtummodo pertinere.

Age vero viginti illae relatae vires ad examen vocandae sunt, et sex illis principio exaratis conditionibus ad essentiam requisitis diligentissime comparandae. Si vis aliqua reperiatúr iis respondens, pro corporis essentia stabilietur. Si nulla sola talis sit deprehensa, ex viribus omnibus excerpendae erunt, quae ab aliis non oriantur, adsint, ubi adsit corpus, absint, ubi sit absens, nec intendantur, nec remitantur, quaeque conjunctae proprietates omnes producant, haeque essentiam constituent.

Impenetrabilitas vis prima est, quae a nulla ex caeteris viribus oritur. ¿Aquanam enim, rogo, illa venit? Adest, si adsit corpus. Etenim quod de corpore Christi impenetrabilitate spoliato dicitur, error est a non satis intellecta impenetrabilitate exortus. Haec est vis conans ne corpus in loco aliús corporis apponatur. Apponatur saltem cunctipotenti Dei virtute ¿Ergo jam impenetrabilia illa corpora non erunt? Minime. Victa est vis, quae naturaliter est invincibilis. Non erit illud corpus solidum; ast erit impenetrabile. Aliud soliditas est, aliud impenetrabilitas. Haec caussa, una efectus? Vim non exercet homo ille, rogem, qui cum alio homine luctans vincitur? Exercet, sed superatur. ¿Vim non exercet corpus suspensum ut descen-

dat? Exercet, sed superatur. Hunc conatum, hanc vim aliqui exigentiae soliditatis nomine expresserunt ¡Et quanta, bone Deus, futilia et ridicula versus hanc effutivere, qui cortices non medullas rerum inspiciunt!

Abest impenetrabilitas, si absit corpus, nec crescit, nec minuitur. Ast non ab ea motus alii exercentur. Ergo est in corpore vis alia praeter ipsam. Essentiale igitur est atributum ab alio non manans, sed non essentia.

Vis, a qua *motus nexus* producitur, primaria non est, siquidem talis motus a gravitate, vive motus congregationis majoris producente exoritur. ¿Quare enim aqua in antliis ascendit nisi ob pressionem aeris exterioris? Propterea ascendit ad altitudinem 32 pedum ad quam pondus aeris eam elevare potest, non amplius. ¿Quare Mercurius in tubo ascendit, nisi quîa premit exterior aer? Propterea ad 28 pollices tamtum pervenit. ¿Quare caro in ventosis attollitur, nisi ob pressionem aeris exterioris magis ponderantis, quam inclusus in ventosis, qui calore est rarefactus?

Vis, quae *motum libertatis* producit, vel attractio fortassis est, vel motus hic intromissione fluidi alicujus potest oriri, et insuper est particularis proprietas, quae abest salvo corpore, et augetur, atque minuitur.

Vis, a qua *motus Hyles* emanat, item particularis est, et vel ab introductione heterogenearum partium, vel ab elasticitate talis motus producitur.

Vis *continuationis motum* pariens attractio

est, de qua aliqua delibanda. Simplices partes, id est, subjecta virium viribus informata, aut corpora dicuntur insensibilia, aut non sunt plane corpora. Si 2 ipsis essentiale est corpus posse efficere. Si 1. posse efficere corpus sensibile. Ad hoc nata sunt, vocanturque jure, et merito, corporis sensibilis principia, si ipsa corpora sunt, aut si talia non credantur, corporum principia audire debent. Ea efformare nequeunt ni partes partibus sint unibiles: fas mi sit ita alloqui. Haec unibilitas a vi venire debet, quae liget, quam attractionem dicimus, quaeque est illis partibus essentialis, dummodo esentialis sit, prout sancitum est unibilitas. Vis haec et in contactu partium exercetur, et ad distantiam plerumque sensitur ¿Et extiturus est aliquis, qui vim trahentem in contactu, vel ligantem si mavis, distinctam ab ea credat, quae ad distantiam venit experienda? Entia is, ut dicunt, absque necesitate multiplicaret.

Fatemur ultro incrementum decrementumque effectum vis istiusmodi habere, quo aliquis attractionem ab essentiali excidere forte arguet. Sed animadvertat, omne effectum cum caussa confundat. Aequali vi semper partes corporeae attrahunt. Effectus, accessus nempe mutuus, non semper est idem. Semper pars eamdem vim applicat, et exercet, ut partem attrahat. Quare semper effectus non eodem modo accidat licet forte ignorarem, id scirem, attractionem essentialem esse fatendam, ni partium componentium corpus sensibile destruere velimus essentiam, ac inde hanc vim in se nec incrementi, nec de-

crementi participem esse credere sumus coacti. Numquam nobis duo haec ostendentur, et accedere corpora jam magis, jam minus, quia jam major, jam minor est vis trahens in partibus, et vim hanc essentialem non esse, quia licet aequalis sit semper effectus ob varias circunstantias idem semper non observatur.

At vero in re non dubia argumentis utor non necessariis ¿Quit igni urere posse essentiale esse inficias est umquam iturus? Nemo sane. Sed ignis ejusdem effectus, ustio nempe, jam major est, jam minor, pro varia, quae intercedat, distantia, et aliis ¿Quare id non obstat, ut igni potentiam urendi essentialem esse dicamus? Ob id nimirum, quia licet ustio crescat, vel decrescat, id non pendet ab intensione et remissione virtutis combustivae, quod si esset, ignis magis esset ignis, quando magis urit ob incrementum virtutis, minus ignis, quando minus urit ob decrementum ejusdem, sed pendet ab extrinsecis circunstantiis. Idem ergo de attractione dicendum.

Bené habet. ¿Ast probandum es attractionem eodem modo, ac ignis, operari, videlicet emissione partium, ut effectus ea lége minuatur, qua distantiarum quadrata crescunt? Ne id quidem. Aliud est argumentum, quod urgeo. Aut absque tali confirmatione asserendum attractionem operari modo, qui legi huicce respondeat, aut ipsam primariis partibus essentialem non esse, quod ex supradictis absurdum. Quaenam attractionis essentia sit nescio, id tantum scio, esse nempe primariis partibus essen-

tialem. Demum concipere (ni fallor) possumus vim, de qua loquimur, licet non in partium emissione consistat, allatae legi esse subjetam, cum vis sit, quae a centro ad circumferentiam exerceatur.

Animadvertendum etiam est vim trahentem, prout in primigeniis partibus reperitur, nos attractionis nomine innuere. Quod si effectum, scilicet vis applicationem in partes trahendas, et accesionem, attractionem vocare velint, tunc attractio accidentalis est, et nomen aliud vi illi primae imponendum. Quodcumque sit, illud ut essentiale de primigeniis partibus praedicabimus.

Attractio ergo nec augetur, nec minuitur. Adest, si adsit corpus, si absit, abest. Insuper a nulla vi alia pendet, ut consideranti patebit. Cum autem non omnes aliae corporum vires ab ea oriantur, relinquitur non ipsorum essentiam. sed atributum esse essentiale.

Vis, a qua *indigentiae motus* venit, ipsa est attractio, qua corpus aliquod validiori motu tendit ad magis cognata, utpote quae sua figura, et dispositione, et caeteris, vincant attrationem, quam proximius corpus cum antecedente illo, quod indigentiae motu actum est, habeat. Idem est de *septimi motus vi et octavi*, *et noni*, et *decimi* asserendum. Ii omnes ab attactione proficiscuntur

Vires *motuum undecimi*, *duodecimi*, et *decimi tertii*, particulares sunt, cum certis tantum corporibus comperant. Partium corporum in corpora posita intromissione, et communicato motu explicantur.

Circa *motum configurationis et situs* varia dicenda. Ille a vi necesario pendet, ut motus omnis, sed non ab speciali vi a relatis distincta. Sint hae vires agentes: Quod motum versus hanc vel aliam plagam producant, vel a dispositione partium motarum venit, quae vis non est, vel a directione, qua vis est impressa, quae nec vis est, vel ab aliis similibus accidentariis caussis.

Motus pertransitionis pendet non à vi distincta ab aliis motum parientibus, sed a diversa partium medii dispositione, quae huic, vel alii corpori, et non alteris, locum, et pervadendi facilitatem praestant.

Motus regius accidentalis est, atque adeo vis illum producens, quia nunc major est, nunc minor, nunc in partibus subtilibus, nunc in crassis repertus est. Et attractio, et praedominantium partium motus, hunc regium producere queunt.

Rotationis et *trepidationis motus*, et vires eos gignentes, particulares sunt aliquibus tantum corporibus convenientes. Rotatio a vi exterius impressa et attractione, trepidatio ab intromissione partium ab extrinseco valent oriri.

Motus exhorrentiae corporibus omnibus competit, quia venit a gravitate, et medii resistentia, quibus omnia subjacent. Exhorrentia haec clarius in maximis aut densissimis observatur, quia difficilius moventur, et facilius quiescunt. Est ergo vis plane accidentalis illa, quae talem motum exercet.

Exhorrentia vero altera ad motum in quie-

tis, ad quietem in motis corporibus, conatus conservandi vel quietem, vel motum, mutationibus statuum obsistens, inertia est, de qua pauca exaranda. Vim hancce et a nulla ex aliis originem ducere, et a caussa externa non emanare, comperiemus facillimé, si illam intimitus inspiciamus. Si quietum est corpus, non movetur, nisi impellatur, et motui resistet. Primum carentia impetus explicari potest, sed non secundum. ¿Motui resistet ob soliditatem? Hac exigit ut aliud corpus in ejus loco non apponatur, quod consequitur statim ac prementi antecedens moveatur. Ea ergo resistentiam allatam minime exercet. ¿Resistet a gravitate? Sed tunc ¿quare, rogo, corpus filo suspensum, atque adeo gravitate impedita, resistet? ¿Quare si conspirans cum gravitate corpus aliquod aliud premat validiori velocitate, quam quae gravitate exercetur, resistentiam patitur? Motui corpus ob plani scabritiem resistet? Ast resistit filo suspensum, vel, per planum si rotet, est resistentia nunc major, nunc minor, cum illa, de qua sermo, sit massae exactissimé proportionalis. Nunc ¿corpus, quod movetur, resistet ab impetu communicato? At ¿qua de caussa, petam, vel cessante impetu hoc in homine rheda vecto antrorsum adhuc fertur, illa quiescente, et, si illo brevi temporis intervallo, quod est inter rhedae et hominis quietem, manu ípsum sustineamus, resistit? Vel motum denique vel quietum corpus a materia circumambiente quod resistat habebit? Ergo iners erit circumambiens materia. ¿Quare non omnia corpora? Ergo in vacuo boi-

leano corpus nec motui, nec quieti resistet. Ne graves simus. Primaria vis est inertia, sed non fons caeterarum. Habet quatuor reliquas essentialis, quas ab initio memoravimus, conditiones. Essentialis ergo est corpori, licet ejus essentia dici non valeat.

Jam vero vela contrahendi tempus. Habemus nullam ex dictis viribus solam essentiam corporis dici posse, tresque ex iis relictas videri essentiales, nempe impenetrabilitatem (non soliditatem,) attractionem, inertiam. Simplicibus ergo sensibilium corporum et posse aliis obsistere, ne in eorum loco ponantur, et trahere ad se alia, et mutationibus resistere, est tantummodo essentiale. Illa igitur in se ipsa agere nequeunt, propterea nec se movere ullatemua possunt.

Hae ergo tres vires corporibus sensibilibus congruunt, et insuper proprietates omnes, quae ex aggregatione oriantur. ¿Quaenam illae? In primis extensio. Et plures partes, et eae extra se, et continuum quoddam formantes, necessario esse debent, ut corpus sensibile oriatur. Ecce extensio. Ubi haec nasci a simplicibus clare videtur. Sunt enim haec plura, intra se esse repugnant ob impenetrabilitatem, continuum parere valent ob attractionem. In secundis, vires illae omnes ab iis primariis provenientes, prout caeterae sunt, quas praeter primarias recensitas relinquimus.

Extensio simplicibus est meré accidens, resve extrinseca, quae nil eorum essentiae interest. Sint enim illa plura, vel pauca; eadem manent. Sint

intra vel extra se, remotiora vel proximiora, nempe impenetrabilitas vel accesus partium oriatur, aut non, virium soliditatis et attractionis effectus absint, aut adsint, de essentia simplicium nil demitur, nil ei additur. Vires aliae, quae in sensibilibus observantur, essentialium effectus, illorum essentiam nil immutant. Ast sensibili corpori extensio est essentialis, quia, ipsa sublata, tollitur, posita, ponitur necessario: extensio, inquam, non utcumque, abstrahendo a natura partium componentium, sed extensio, id est, positio partium, inertium, juxta se. Nihil aliud corpori sensibili, quatenus sensibili, id est, ratione aggregationis partium convenit. Vires aliae inde exorientes proprietates erunt, quae si abesse possint, adhuc corpus esset sensibile. Ast, posita tali simplicium aggregatione, uriuntur, posito hoc vel alio aggregationis modo, hae, vel alia nascuntur. Verbo: ¿sunt partes attrahentes, solidae, inertes, continuó unitae? Jam concipimus corpus sensibile, licet de aliis, quae inde oriuntur, viribus non cogitemus.

¿Quid ergo? ut ex nostrâ difficili plantatione, amputatione, irrigatione, fructum colligamus, vindemiamque faciamus: ¿quid, inquam, ergo? Corpus simplex vel insensibile intelligitur statim ac intelligatur substantia impenetrabilis, attrahens, iners: corpus veró sensibile statim ac substantia intelligitur impenetrabilis, attrahens, iners, extensa? Hoc ex allatis recte deduci videtur. Hoc Genovesium innuere visum est, dum inertiam, impenetrabilitatem, extensionem, et efficientiam pro essentia indicat. Ast subobscuré. Activam enim

rem deffiniens, et ejus essentiam experimens, vage quidem et generaliter, ut ita dicam, loquitur efficientiam adducens. Hoc inquiritur, quaenam nempe sit efficientia isthaec. Virtus agendi, dicet. ¿Agendi quid? rogo. Hoc ipsum innuere videtur Rosellius, dum corpus substantiam compositam vocat extensionis capacem. Per compositam enim illam substantiam intelliget (licet confusé, et parum exacté loquatur) subjectum virium, et vires adjunctas, quae substantia extensionem efformare potest, et ad hoc nata est, si cum aliis uniatur. Sed subobscuriora haec quam illa Genuensis. Consentiunt ergo duae illae, quae inter caeteras eminent, sententiae cum fere iis omnibus, quae de essentia corporis ex anteactis deducebamus. Nil de aliis opinionibus sumus soliciti, cum quia haec non suffragiis Philosophorum firmanda sunt, tum quia aliae magis, aliae minus a veritate longe abesse videntur, et ex disquisitionibus supra vires institutis abunde rejiciuntur. ¿Quis ferat Physicos essentiam praedicantes attributum illud, quod vel primum est, sed non fons caeterorum, vel secundarium, et aliquorum fons et origo, idque frigidissimis argumentis firmantes? Tales sunt sententiae, quae hac super re circumferri assueverunt.

¿Quid ergo? iterum. Ea, quam innuebamus, essentia corporis erit? Tria obstare videntur. Fontes non sunt, aliquis regeret, reliquarum virium vires illae statutae. ¿Quid cum attractione, impenetrabilitate, inertia, et extensione electricitas? ¿Quid lucis refractio? ¿Quid elasticitas? ¿Quid demum alia? Tu, effutiet aliquis, qui hiatu tanto es-

sentiam corporis notam praedicas, vel unum effectum profer, praedic ante ejus observationem: qui enim essentiam rei noscit, id facere quit, sicut ex notis figurarum essentiis praedicunt plurima Metematici. Praedictio isthaec lapis est lydius, quo examinandae de essentia opiniones. Nondum, clamabit alter, detecta sunt omnia corporis attributa. ¿Quis hoc astruat? Plura in dies innotuerunt. Innotescent alia, quae vel ab illis primariis non orientur, aut erunt fortassis primaria.

Si motus illos, quos in primis opponunt, et similes alios, ex primariis nostris viribus nascentes explicare vellemus, id quidem possemus efficere; ast fatear, quoad aliquos paucos nec nitide, nec satis commodé. ¿Quis umquam varias partium et virium combinationes ad apices intellexit? Id autem opus erat, ut quod petunt explicarémus. Sed confidenter dicimus: Suadeant nobis motus illos ab iis primariis viribus oriri nullatenus posse. Id numquam efficient. Hoc forté sufficit ut nostra constet opinio, cui astruendae huccusque proni videmur.

Idem, quoad secundum attinet, dicimus: nempe partium et virium combinationem variam, et mirabilem, et absconsam, quam intus Natura transigit, nemo exacte intelliget. Scio vires allatas varié agere posse pro varia partium et unione, et dispositione, proque figurarum varietate. Quaenam istae sint, esseve possint, prorsus ignoro. Hoc autem sciendum erat, ut quid his, vel aliis, circunstantiis accidere debeat auguraremur. ¿Quid de essentiis matematicarum rerum,

et ab ipsis Matematicis efformatarum, et apprimé notarum, cum corporis physici essentia? Suis figuris Matematicus essentiam dedit ¿quid dedit, nesciet? Corporum relationes cum suis sensibus, et nil amplius, Physicus noscit, effectus nempe perpaucos. ¿Idem hic in corpore, ac ille in figuris, est nosciturus. Videant igitur, qui haec opponunt, ne sibilis a cordatis Philosophis recipiantur.

Nec tam confidenter opponant ex virium, quas induximus, cognitione nullum effectum praedici posse. ¿An nesciunt Newtonum pluribus annis ante Condaminii, Maupertuissií, et Richarti mensuras spheroidaeam Terrae figuram ex attractionis teoria deduxisse?

Quoad tertium, fatendum est semper corpus fuisse sensibile, ac inde semper sensibus obtulisse resistentias, vires, actiones eas, eodemque modo, quae ipsi sunt essentiales, et alias, quae ab iis exoriuntur. Nec detectae fuerunt, nec detegendae sunt vires, quae antea notae non fuissent, quae non fuissent sensae. Ast ex observationis deffectu, et ob intellectus imbecillitatem, vel confussae fuerunt cum aliis, vel ut accidentales habitae, vel particulares aliquorum tantum corporum propriae, cum fuissent universales et essentiales. Ignorata ergo essentia corporis fuit. ¿Et nota nunc cum et extensio, et impenetrabilitas et attractio, et inertia pro essentia pronuntur? ¿Certum est eas vires, quae accidentales et particulares creduntur, non esse essentiales aut primarias? Nescio. ¿Quid inde? ¿Noscitur essentia corporis realis, qua corpus sit tale? ¿Nomina-

lis noscitur? Id est ¿licet quatuor attributa, quae atulimus, non explicent quid realiter corpus constituat, iis positis sensu, quem illis affiximus, corpus, prout nobis apparet, intelligi affirmabimus? Realem nosci non sanus juret Orestes. Nominalem nosci nobis est visum. ¿Ea certe in impenetrabilitate, attractione, inertia, extensione est reponenda? Qui aequiori Jove judicent videant. Nos id solum audémus asserere essentiam scilicet corporis nominalem in quatuor illis attributis probabiliter collocari.

Quod si vel essentiae nominalis vocem, eo sensu, quem ei apposuimus, reformidatis, per me licet, lituram patiatur. Ignotam praedicate essentiam, et vel numquam noscendam. Scire veró nos dicite generales corporum relationes cum nostris sensibus, generales Naturae leges, generales corporis qualitates, generales phoenomenorum omnium caussas, easque esse impenetrabilitatem, attractionem, inertiam et extensionem. Id, ut minimum, non renuendum.

[illegible]

[illegible] Ratimus, cor[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

tes, [illegible]

[illegible]

cent videm. Nec id [illegible]

[illegible]

Quod [illegible]
sensu, quod ei appr[illegible], reformavit, per
[illegible]
escentiam, et vel multyram accendam. [illegible]
[illegible]

[illegible]

L, [illegible]

INDEX.

Caput tertium.

Caput quartum.

Caput quintum.

COSMOLOGIA.

DISSERTATIO 2ª

Caput octavum.

§ I.

§ II.

§ III.

Caput nonum.

§ I.

§ II.

§ III.

Caput decimum et ultimum.

DISSERTATIO 4ª

THEOLOGIA NATURALIS.

Caput primum.

Caput secundum.

Caput tertium.

Caput quartum.

Caput quintum.

Caput sextum.

Caput septimum.

§ I.

§ II.

§ III.

APPENDIX.

Las erratas, que hemos encontrado, no son tan notables, que no puedan corregirlas los lectores.

No reconocemos por nuestros los ejemplares, que al reverso de la portada no lleven nuestra rúbrica y sello.




ERRATAS, QUE NECESITAMOS ADVERTIR.

Pág	*Línea.*	*Dice.*	*Léase.*
8.	15.	ens.	*res*
98.	11.	unitatur, . .	*imitatur*
98.	16.	imposibiliter.	*imposibile*
98.	20.	unquam. . .	*numquam*
99.	29.	loetifera. . .	*lethifera*
99.	30.	effectus. . .	*affectus*
100.	29.	comparata. .	*comparatam*
101.	32.	esse: . . .	*esset*
102.	21.	nullae. . .	*nulla*
105.	1.	machinae. .	*machina*
105.	11.	motio . . .	*notio*
106.	24.	ergo. . . .	*ergo si*
107.	3.	grado. . .	*gradu*
107.	12.	Dei. . . .	*Deus*
113.	20.	eum. . . .	*eam*
114.	1.	nullas. . .	*nullus*
117.	3.	subministrare	*administrare*
117.	4.	causa. . .	*casu*
118.	24.	defficere. . .	*defficeret*
119.	26.	pluris . . .	*puris*
119.	31.	dubitant. . .	*dictitant*
121.	3.	pectantes. .	*spectantes*
124.	10.	putandi. . .	*putanti*
124.	31.	negantes. . .	*negantes Deum*
126.	13.	praedicat. .	*praedicant*
126.	30.	opiniora. . .	*opimiora*



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y UNIVERSITARIA
SEVILLA



A 64(285)/160

UNIVERSIDAD DE SEVILLA




600149210

1235-29349




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm